


ORIENTALIA.

ORIENTALIA.

EDENTIBUS

T. G. J. JUYNBOLL, T. ROORDA,
H. E. WEIJERS.

VOLUMEN II.

AMSTELODAMI,
APUD JOHANNEM MÜLLER.
1846.

TYPIS C. A. SPIN & FILII.

T. G. J. JUYNBOLL

LECTORI SALUTEM.

Tandem in lucem prodit alterum *Orientalium* Volumen, quod, mortuo Weijers*io*, et altero Editore, Cl. T. Roordâ, ex itinere in Patriam nondum reduce, tibi a me solo traditur, ne ejus editio diutius differatur. Quare non prius illud publici juris factum sit, multae ac variae sunt causae, in quibus mala valetudo, quâ carissimus meus Weijers*ius* per longum tempus utebatur, et morbus, quo postea laborabat, atque illa mors ejus tristissima, principem locum tenent. Majorem quidem hujus Voluminis partem ille una nobiscum ante mortem typis exprimi curaverat, sed Dissertationem moriens reliquit, partim editam, et, quod valde dolendum! ad finem nondum perductam. Quae ergo facienda superessent, Editores superstites, quia ipsi, multis quippe negotiis obruti, impediti erant, quo minus ea intra breve temporis spatium absolverent, lubenter fidenterque absolvenda com-

miserunt Viro doctissimo R. P. A. Dozyo, quo huic rei cito èt egregie peragendae neminem aptiorem esse judicabant. Huic ergo debentur, tum reliquarum dictae Dissertationis plagularum correctio, et annotatio, quae p. 489—491 inserta est, tum etiam Indices ad hoc et primum Volumen, quos ut Lectoribus haud ingratos futuros esse confido, ita spero, non ultimos fore, qui huic Operi parentur.

Lugduni Batavorum, mense Augusto MDCCCXLVI.

CONTINENTUR HOC VOLUMINE:

COMMENTARIORUM

IN

HABACUCI VATICINIUM

PROLEGOMENA,

AUCTORE

H. A. HAMAKERO.



COMMENTARIORUM

IN

HABACUCI VATICINIUM

PROLEGOMENA.

Inscriptio vaticinii, quod Habacuco attribuitur, solum auctoris nomen prodit. Parentes igitur, patria atque aetas prophetae aut incognita fuerunt, aut saltem incerta visa sunt illi, qui primus hanc epigraphen libello praefixit, et Alexandrina certe versione, quae ista verba expressit, antiquior fuit. Neque enim quemquam puto esse futurum, qui haec ab ipso Habacuco profecta esse contendat. Nam, ut omittam longe maximam partem hujusmodi inscriptionum non auctoribus deberi, sed collectoribus atque editoribus; nonne verosimile est prophetam, si haec ipse scripsisset, parentes, tribum et locum natalem fuisse commemoraturum, ut se ab aliis eodem nomine viris distingueret, neque assumturum fuisse titulum הנביא, quem sine arrogantiae suspicione ipse sibi attribuere vix poterat. Praeterea videntur isti duodecim vatum minorum libelli tamquam unum opus habiti et in unum corpus collecti fuisse, ut probabile sit, inscriptionum, quae variis partibus τοῦ δωδεκαπροφήτου praefixae sunt, unam

eandemque rationem esse. Jam vero in his complures sunt, quae ab ipsis prophetis scribi non potuere; ut Hoseae, Amosi, Michae, Zephanjae, quibus reges enumerantur, quorum sub imperio illi floruerunt. Quodsi similia de Habacuco diasceuastis illis innotuissent, ea procul dubio in fronte libelli commemorassent. Fatendum est, horum silentium multum detrahere de fide illius auctoris anonymi atque aetatis incertae, qui in libello *de vitis prophetarum* Habacuci etiam genus et fata paucis exsequitur. Sed tametsi hujusmodi commentis non multum tribuimus, potuit hic sane, in inveniendis colligendisque traditionibus, decessoribus suis esse felicior; tum plerumque talibus fabellis etiam fundamentum aliquod veritatis subjectum est. Neque vero in illis, quae ibi de Habacuci rebus feruntur, multum est, quod probabilitati repugnet, si prandium illud Danieli allatum exceperis, quod adeo breviter et obscure memorat auctor, ut nisi adesset uberior illa in apocrypho Daniele narratio, intelligi omnino non posset. Hoc vero ipsum, quod diximus, luculenter ostendit, haec non recentiora esse patrum Graecorum commenta, sed apud Judaeos Alexandrinos, jam ante aerae nostrae initium, in vulgus emanasse quasdam traditiones, quae Habacucum per captivitatem Babylonicam in Judaea remansisse et in agello suo vitam tolerasse ferebant. Quin apud recentiores quoque Judaeos Hebraice scribentes ejusdem rei memoria conservata est, ut in *Bereschith Rabba*, cujus locum huc pertinentem laudat Raymundus Martini in ipso fine operis *Pugio fidei* inscripti, verbis Danielis apocryphi accurate respondentem, Habacucum *sexto die*, postquam in cavernam detrusus fuerat Daniël, ipsi cibum attulisse affirmantibus, non *per septem dies*, ut in

Chronico Paschali p. 142 legitur, ubi *δὶ Ἀβακοὺμ τραφεὶς, μετὰ ἑπτὰ ἡμέρας σῶος ἀνηχθη* pro *δ. Ἀ. τ. ἑπτὰ ἡ. σ. ἀ.* reponendum est. Aliter Josephus ben Gorjon, qui historiam, sicuti in Chaldaico Daniele C. VI. narratur, cum illa de Habacuci adventu fabella conjunxit, L. I. C. 9, 10 et 11 edit. Breith., eaque in re non Graecas illas libri apocryphi, sed alias, ut videtur, gentis suae traditiones secutus est. Nec mirum, cum a me peculiari commentatione, in actis nostri Instituti Regii edita, demonstratum sit, maximam partem illius libelli *de vitis Prophetarum* ex Hebraicis fontibus derivatam esse. Videtur autem Judaeos illos, quibus illae traditiones debentur, non advertisse difficultas, quod in vitis illis ex Simeonis tribu oriundus esse dicitur noster, dum inscriptio historiae Beli et Draconis, ubi de Habacuco illa fabula narratur, profitetur, illud caput desumtum esse *ἐκ προφητείας Ἀμβακοὺμ υἱοῦ Ἰησοῦ ἐκ τῆς φυλῆς Λευί.* At titulus iste legitur in uno Codice, qui superest, Danielis Alexandrinorum, item in versione Syro-Hexaplari, non in Theodotione versionibusque veterum, quae ex eo fluxerunt. Hanc vero recensionem ante oculos habuisse auctorem libri Bereschith Rabba, ex ipsis ejus verbis manifestum est, et hanc etiam, quippe vulgo tritam, scriptori de vitis prophetarum innotuisse, verosimile est. At demus, istam inscriptionem illis notam fuisse; neque enim, quod nonnullis Viris doctis placuit, continuo admittendum est, eum Habacucum, de quo in isto capite aliquid narratur, haud diversum esse ab eo, ex cujus prophetia illud desumtum esse dicitur. Sed, ut verum fatear, illum titulum plane non intelligo, qui partem libri Danielis Habacuco tribuit. Quodsi revera sic censendum est, ab illis, qui Habacucum Levitam, et qui Si-

meonitam faciunt, eundem hominem significari, tantum abest, ut haec inter se pugnent et e diversis traditionibus fluxerint, ut potius optime in concordiam redigi posse videantur. Simeonita dici potuit, utpote natus et educatus in istius tribus solo, licet Levitico genere esset editus. Sic v. g. Samuelis pater, licet secundum I. Chron. C. VI. vs. 18 sqq. ad Levitas pertineret, Ephratita vocatur I. Sam. C. I. vs. 1, sive hoc Bethlehemitam significet, sive Ephraïmitam, quod verosimilius est, quia habitabat in urbe Ramathaim Zofim in montanis Ephraim. Erat igitur גָּר בְּיַרְכְּתֵי הַר אֶפְרָיִם, ut verbis utar scriptoris libri Judicum C. XIX. vs. 1 de alio Levita, cujus violata pellex internecino bello inter Benjaminitas et reliquos Israelitas gesto opportunitatem dedit. Tertium illius rei exemplum est in eodem libro C. XVII. vs. 7 sqq , ubi de juvene Levita sermo est, qui primum inquilinus fuerat Bethlehemi, at deinde pariter se contulit in montes Ephraimiticos et in Michae cujusdam domo sacerdotis munere functus est. An regionis *εὐδαιμονία* istos homines impulerit, ut eo cum maxime rerum suarum sedem transferrent, nescimus, hoc vero manifestum est, vel urbes illas, quas Josua Levitis assignaverat (Jos. C. XXI), non omnes illis fuisse traditas, et Levitas plerosque certis sedibus caruisse et promiscue inter reliquos Israelitas habitasse, sive in urbibus, quae ad suae tribus sortem non pertinebant, ut Samuëlis familia in Ramathaïm-Zofim, sive rure, ut Habacucus, natus, ut ferunt, in agro Beth-Zocher, vel Beth-Zechar, vel Beth-car (de quibus nominibus in Commentatione superius laudata actum est), item, ut arbitror, Levita ille, de quo C. XIX. Judicum agitur. Sic ergo diversae traditiones de prophetae genere in concordiam redigi poterunt; etsi fatendum est,

si revera duo fuerunt Habacuci, fabellae illius de Habacuco Danieli cibum afferente originem quodammodo explicari posse. Cum enim aliquis hoc nomine Levita, inter captivos Judaeos Babylone habitans, Danieli in foveam detruso et esurienti subvenisset, posteri nominis similitudine decepti hoc ad prophetam retulerunt; quem cum eodem tempore vitam non in exsilio, sed in agello Palaestinensi exegisse fama esset, miraculo hoc adscriptum est, et fabula excogitata, quae, tamquam Deus ex machina, difficultatem solveret et caussam panderet, cur non obstante tanto locorum intervallo Danielem opportuno tempore convenire potuerit. Porro in eadem Habacuci vita narratur, eum, qua tempestate Nebucadnezarus in Judaeam venerat, fugisse Ostracinen, quod oppidum est in Aegypti Arabiaeque confinio, at nihilo minus Judaeis post deletas Hierosolymas in Aegyptum migrantibus se non adjunxisse, sed in patriam rediisse, ubi, inquit narrator, *ἐλειτούργει θερισταῖς τοῦ ἀγροῦ αὐτοῦ.* Quae verba indicare videntur, eum per absentiam et temporum calamitatem agri sui possessione exutum fuisse et necessitate coactum messoribus operam suam obtulisse. Aliter tamen visum est Josepho ben Gorjon l. l., qui aliis auctoribus usus ait, Habacucum vespere cibum dare voluisse messoribus, postquam בא מקצירו, *a messe sua redierat.* Quod autem traditionis auctor, postquam memorasset Habacucum Babelem translatum et pari celeritate suis redditum fuisse, statim subjunxit *συνῆκεν δὲ, ὅτι τάχιον ἐπιστρέψει ὁ λαὸς ἀπὸ Βαβυλῶνος,* id imprimis memorabile est. Neque enim, ut puto, his verbis significat, eum hoc intellexisse ex futuri scientia et prophetica facultate, sed eum sic existimasse, Deum suo celeri Babylonem abitu et in Judaeam reditu brevitatem captivitatis Babylonicae

adumbrare voluisse: qua ratione saepissime actiones aut fata prophetarum conditioni gentis Israëliticae praesenti vel futurae συμβολικῶς exprimendae inserviisse, ex multis V. T. locis constat. Postremo in ista narratione legimus, Habacucum biennio ante populi reditum obiisse et in agro suo sepultum fuisse: qui sepulturae locus optime in concordiam redigi potest cum testimoniis Sozomeni L. VII. c. 29 et Eusebii in libro *de nominibus locorum Hebr.*, quorum ille prophetae λείψανα Theodosio M. imperante reperta tradit apud *Κελὰ*, vel *Κεΐλα*, hic sepulcrum Habacuci collocat apud *Κεειλὰ*, vel *Κηλὰ*, item apud *Ιαβαθὰ* et *Ἐχελὰ*, quod non accipiendum est, ut ab Hieronymi editore Martianayo factum video, de monumento Habacuci variis locis monstrato, quamvis hoc a pia fraude Judaeorum exspectandum erat, Habacuco non magis hac in re parcentium, quam aliis prophetis sanctisque viris, ejusque sepulcrum nescio qua de caussa ponentium apud vicum Jakouk יָאקוּק (cf. Carpzov. *Introd.* p. 391, et Hotting. *Cippi Hebr.* p. 74 sq.), in Galilaea inter Safad et Caphar Chittin, i. e. حِطِّين sive כפר חיטיא (*vicus frumenti*) Talmudicorum (cf. Rel. *Pal.* p. 687), locum binis parasangis, ut Lex. Geogr. MS. testatur, a Tiberiade distantem, et de cujus situ nos dubitare non sinit celeberrima pugna inter Saladinum et Christianos ibi commissa, quae regnum Hierosolymitanum evertit. Hoc fabulis Judaicis recentioribus annumerandum censemus; alterum illud et vetus adeo ab Eusebio memoratum non continuo rejicimus. Ponit ille *Κεειλὰ* (קעילה), quae secundum Jos. XV. vs. 44 ad Schephelam, sive campestria Judae, pertinet, in 17 lapide ab Eleutheropoli versus Hebronem. Hieronymus habet in 8: at legendum videtur *in septimo* (7 pro 17), cum *Ἐχελὰ* (quod Relandus,

Palaest. p. 488 et 698, merito non Hachilam esse putat, nimis remotam in deserto Ziph, sed ipsam Kehilam) etiam in 7° lapide ab Eleutheropoli collocetur. Hieronymus habet in 8° lapide, probante Relando: *Ιαβαθὰ* autem ab eadem urbe abesse dicit duodecim milliaria, non ab Hierosolymis; qui error a Relando admissus illius hac de re disputationem conturbavit l. l. p. 772. At in eo ipsi facile assentimur, quod sepulcrum Habacuci inter has urbes Keila et Gabbatha medium fuisse existimet atque ea de caussa utrobique illius mentionem injici. Conveniunt haec egregie cum geographica ratione loci, ubi Habacucus lucem adspexisse et vixisse fertur. Non repetam, quae de situ urbis Beth-Zecar alibi a me observata sunt; sed hoc tamen reticendum non puto, *Χάφαρ Ζαχαρία,* quod a Beth-Zecar, vel Beth-Zacaria, differre non videtur, a Sozomeno L. IX. c. 17 collocari in eadem regione Eleutheropolitana, ubi secundum Eusebium Prophetae sepulcrum monstrari solebat. Sed in viam redeamus. Mortuus est igitur Habacucus, si anonymo auctori fidem habeas, biennio ante finitam captivitatem, idque extrema atque affecta aetate, nec certe ante annum vitae nonagesimum. Nam circiter septuaginta annis ante primum illud vaticinium ediderat, quo instans et inexspectatum Chaldaicae potestatis incrementum describit, illudque facinus appellat divinum, cui nemo auditorum fidem habiturus esset, C. I. vs. 5. Hoc vero eum dicere non potuisse, nisi tribus prioribus regni Jojakimi annis, inferius suo loco probabitur. Quodsi ergo admittimus, Habacucum anno circiter vigesimo propheticum munus suscepisse (etsi in hujus auctoritatem parum convenire videtur illius juvenilis aetatis inexperientia), ad annum, quo mortuus est, aetatis ferme nonagesimum,

ut ante dixi, computando perveniemus. Sed ulterius etiam vitam produxerit, si Habacucum, qui Danieli cibum attulit, ab eo non distinguas. Nam Daniel certe in foveam leonum detrusus est post captam Babylonem et finem exsilii, sive ista res Dario Medo, i. e. Cyaxare, imperante acciderit, ut in Chaldaico Danièle est, sive Cyro regnante, ut in Graeco apocrypho. Ergo hoc etiam eo valet, ut veteres perperam ex duobus viris unum fecisse existimemus. Reliquis cur fidem omnem denegemus, caussa nulla est. Nam non apparet, quid auctorem ad ejusmodi traditiones fingendas impellere potuerit, praesertim cum ante eam aetatem vixisse videatur, qua primum virorum sanctorum sepulcra monstrari et adiri, reliquiae coli et hanc ob caussam etiam variae fabellae de eorum rebus gestis fingi coeperunt ab hominibus credulis et fraudulentis. Hoc si hujus etiam scriptoris consilium fuisset (et, si eo tempore vixisset, ecquid melius ab eo exspectari poterat?), diligentius profecto singulorum sepulcrorum loca indicasset, nec simpliciter de plerisque prophetis dixisset, illos quemque in agro suo sepultos esse. Ultro concedimus, eum de aliis prophetis complura falsa et fabulosa tradidisse et ingenio caruisse critico, at hinc non efficitur, ea quoque rejicienda esse, quae historicae fidei et probabilitati non repugnant. In quibus prae caeteris ista censenda sunt, quae de Habacuci aetate refert. Nam prophetam non tantum Chaldaeorum adventum praedixisse, sed sub postremis quoque Judaeae regibus vixisse et intereuntis reipublicae testem fuisse, nos dubitare non sinit diligentior illius vaticinii consideratio. Quocirca mirari subit veterum scriptorum, item Virorum doctorum, diversas de aetate viri sententias, quorum alii eum Uzziae et Jothami, alii Hiskiae vel

Manassis aevo floruisse, alii exilii tempore et deletis jam Hierosolymis vaticinia sua edidisse arbitrentur. In exponendis et refutandis singulorum sententiis tempus chartamque non consumam. Eorum, qui Habacucum nimis antiquum faciunt, argumenta egregie refellit Horstius in Introductione libri, cui titulus: *die Visionen Habakuks neu übersetzt*, ubi merito observat, plerosque viros doctos ideo maxime deterritos fuisse, quominus exstante jam exsilio Babylonico Habacucum floruisse statuerent, quod tanta essent in hoc viro sermonis integritas et facultas poëtica; quae res scilicet in infimam illam aetatem vix conveniant. Quod argumentum quam vim habeat, non satis assequor. Si de auctore sermo foret, cujus vita, ad Ezechiëlis exemplum, inter medios Aramaeos fuisset transacta, vel de eo, qui post reditum a captivitate floruisset, miraremur sane tantam in Habacuco sermonis Hebraici praestantiam: sed, quaeso, quae tandem caussa est, cur idem statuamus de viro, qui ante eversam vixit rempublicam? aut unde scimus, Hebraismum eo tempore inter ipsos Judaeos Hierosolymis agentes tam corruptum fuisse? Haud ignoro, illius corruptionis exemplum afferri Jeremiam (vide Eichhorn. *Einl.* § 536, qui tamen haud satis sibi constans in Habacuci aetate definienda mecum consentit): sed merito opponit Bertholdtus *Einl.* § 368, hujus rei caussas in ipso Jeremia, non in illius aetate quaerendas esse. Alii contra, quos dictionis pulcritudo non deterret, quominus vatem etiam post deletas Hierosolymas cecinisse statuant, magis in multorum doctorum Virorum praesentis aevi inclinant sententiam, pleraque scripta Hebraïca, quibus hucusque major antiquitas tributa fuerat, haud raro jure, saepius injuria, ad recentiorem aetatem referentium. Neutrius vero

sententiae propugnatores satis ad eum locum attendisse videntur, quem obiter ante memoravi, C. I. vs. 5 et 6, et quo usi sunt etiam illi, qui eandem mecum opinionem sequuntur. *Videte*, inquit, *o perfidi* (sic enim legendum et reddendum esse, postea docebitur), *et attendite, admiramini et obstupescite; nam ego in vestris diebus opus perago, cui non credetis, cum narrabitur. Nam ecce ego excitabo* (vel *erigam*) *Chaldaeos* etc. Quis paullo prudentior non videt, haec omnem de aetate prophetae dubitationem tollere? Nam perinde est, ac si dixisset: *Chaldaeos jacentes et omni potestate privatos denuo erigam. Aegyptii nunc late dominantur et firmissimum imperium vobis obtinere videntur; at mox fortuna mutabitur. Chaldaeus, a quo sub Aegyptiorum tutela nihil timendum esse creditis, jam vestris cervicibus imminet, et quamvis nunc fabellam vobis narrari putetis, si quis haec praedicat, mox magno vestro malo, summo cum stupore hoc verum esse deprehendetis.* Hanc loci paraphrasin, ut puto, ipsa rerum ratio postulat, nec facile in Hebraeorum historia tempus reperies, cui effatum illud respondeat, praeter duos priores Jojakimi annos. Quod ut manifesto appareat, historiae huc pertinentis series pluribus exponenda est. Pharao Necho, nascentes Chaldaeorum vires metuens, qui Josiam Judae regem et fortasse reliquos etiam Syriae et Phoeniciae principes in suas partes pertraxerant et Aegypto jam servitutem minitabantur, rebus suis se optime consulturum arbitratus est, si bellum in agrum hostium transtulisset. Ab initio haec ipsi ex voto cesserunt. Josiam debellat et occidit, et omnibus terris ad Euphratem usque flumen perdomitis, Chaldaeos intra Babyloniae fines continet, et Jojakimo rege Judaeorum, qui sibi tributum

penderet, constituto, in Aegyptum redit, II Chron. C. XXXV, 20 — XXXVI, 4. Postea vero iterum cum ingentibus Aethiopum, Libyum Maurorumque auxiliis egressus, sive ut incoeptam victoriam persequeretur, sive, quae potior sententia est, ut renatas interea Chaldaeorum vires labefactaret, cum hostibus apud Circesium anno Jojakimi quarto conflixit et praeter opinionem omnium tantam cladem passus est, ut quaecumque armis acquisiverat, amissis, intra regni sui fines se recipere cogeretur, Jerem. C. XLVI. vs. 2, 9, coll. II Reg. C. XXIV. vs. 7. Sic imperio ad Chaldaeos translato, occupavit Judaeam et Hierosolymas Nebucadnezarus, et quidem, ut ex Jer. C. XXXVI. vs. 9 effecit Hengstenbergius, *die Authentie des Daniel* p. 54 et 60, ejusdem anni quarti mense nono. Nam ibi anno Jojakimi quinto et nono mense jejunium publicum promulgatum fuisse dicitur, idque, ut conjicit, in memoriam cladis, quam anno ante passi fuerant. Hoc vero, ut quisque videt, incertum plane et conjecturale est. Nec magis assentiri possumus eidem Hengstenbergio, Danielis locum C. I. vs. 1. cum Jeremiae locis laudatis suaque conjectura in concordiam redigere tentanti. Ex illius sententia verba sic reddenda sunt: *Anno regni Jojakimi tertio* profectus est *rex Nebucadnezar Hierosolymas* (non venit), *ut eam obsideret;* et initium expeditionis significatur, quod in annum tertium incidere potuit, licet quarto demum anno Aegyptii profligati sint et Hierosolymae expugnatae. Quod argumentum profecto est ejusmodi, ut nemini placere possit, nisi qui fidem libri Daniëlis quovis modo tueri velit. Neque enim bellum suscepit Nebucadnezarus et Babylone profectus est, ut Hierosolymas in potestatem redigeret, sed ut Aegyptios finibus arceret. Quod Hierosolymae

cum tota Syria in potestatem illius pervenerunt, id, fateor, necessarius victoriae effectus fuit, sed de eo certe ante pugnam apud Circesium, qua salus vertebatur imperii Chaldaici, nequaquam cogitavit. Miror vero imprimis, nec illi, nec, quantum memini, aliis, aliam hypothesin in mentem venisse, quam, cum tam ad Habacuci aetatem definiendam, quam ad Danielis fidem stabiliendam pertineat, hic commemorandam putamus. Nempe paullo ante vidimus, Nechonem absoluta prima expeditione in Aegyptum rediisse. Proximo biennio, ut reor, quies fuit, et omnia jam videbantur esse in Aegyptiorum potestate. At Chaldaei interim vires reparaverant. Tertio anno Nebucadnezarus, a patre missus Nabopolassaro, subito Syriam invadit, Hierosolymas, ubi omnes sub Nechonis tutela se tutos arbitrabantur, obsidet et nullo fere negotio capit, vasa sacra depraedatur et captivos abducit. Sed interim pater Nabopolassar Babylone diem obierat, quapropter Nebucadnezarus, metuens ne Babylonii defectionem molirentur, cum paucis comitibus in urbem regiam qua maxima potest celeritate contendit, reliquo exercitu cum praeda et captivis subsequi jusso. In his Berosi narrationem apud Josephum, *Ant. Jud.* L. X. sub finem capitis 11 et Lib. I. *contra Apion.* § 19, cum Daniëlis loco composui. Temporis autem ratio omni dubio exemta est. Nam ab altera parte ex Ptolemaeo novimus, Nabopolassarem obiisse anno 143 aerae Nabonassaris, incipientis die 26 Febr. anni ante C. N. 747 (cf. Ideler *Techn. Chronol.* T. I. p. 98); ab altera constat, templum Hierosolymitanum conflagrasse anno Nebucadnezari 19 (cf. II. Reg. C. XXV. vs. 8, Jerem. C. II. vs. 12 sqq.) sive aerae Nabonassaris 162 (cf. Ideler l. l. p. 529). Denique intersunt anni circiter novemdecim inter annum

tertium Jojakimi et captas a Chaldaeis Hierosolymas. Quippe Jojakimus regnavit annos undecim, Zedekias totidem, et Jojachinus tres menses. Et Zedekiam suos annos *integros* regnando consumsisse, verosimile est, cum Ezechiel C. XXXIII. vs. 21 dicat, anno captivitatis suae, i. e. Jojakimi, duodecimo venisse ad se nuntium de captis Hierosolymis; quod vix admitti poterit, nisi ista clades acciderit extremis anni Zedekiae undecimi mensibus. At contra aliquot menses anno Jojakimi ultimo deesse potuerunt, ut igitur pleni sint anni novemdecim et nihil amplius, atque adeo annus Jojakimi tertius accurate respondeat ultimo Nabopolassaris. Quodsi, ut probabile est, Nebucadnezarus hoc potissimum tempore patris sui morte in cursu victoriarum persequendo impeditus sit, tenemus sane caussam secundae expeditionis Pharaonis Nechonis admodum verosimilem. Nam is, Chaldaici belli molem in Syriam ingruentem videns, magnas copias contraxerat. Mox autem Nebucadnezarum patris morte et rerum novarum metu revocatum esse videns, et hinc ratus sibi adesse victoriae opportunitatem, exercitum educit et ad Euphratem caeditur. Sic igitur duae fuerint incursiones regis Chaldaici in Judaeam, ubi vulgo tantum una statuitur, altera ante, altera post deletum Nechonem: cf. II. Reg. XXIV,7. Prior accidit anno Jojakimi tertio, posterioris tempus incertum est, licet probabiliter ad annum ejusdem quartum referatur. Quae si admiseris, facile videbis, illa verba Habacuci C. I. vs. 5 et 6, necessario ad primum illius Regis biennium pertinere. Eo tempore et ad finem reipublicae Judaei in Aegyptum inclinabant. Rex ipse et principes, de quorum tyrannide et malitia satis ex Jeremiae libro constat, Nechonis auxilio freti et nihil sibi mali timentes, vitiis suis indulge-

bant et populum vexabant. Habacucus autem, qui probe intelligebat, Chaldaeorum vires potius dissipatas quam fractas esse, eosque interea bellum parare, instantem Chaldaeorum incursionem tamquam praesentissimum remedium lasciviae in malis publicis exsultantis popularibus suis proponit. Quod cum faceret, multum profecto abfuit ab eorum malorum praesagio, quae deinceps, Chaldaeis rerum potitis, evenerunt. Quae caussa etiam est, cur intra solas minas et hostis ingruituri descriptionem subsistat, C. I. v. 1—11. Nam in illius versiculi fine definere primam vaticinii partem, quae sola ad illud tempus, quod indicavi, referenda sit, mihi quidem persuasissimum est. Admodum verosimile censeo, primam partem capitis nonnisi fragmentum esse majoris vaticinii; nam quo diligentius ista lego, eo manifestius agnosco, hic multa deësse ad orationis scopum et integritatem. Describitur vividissimis coloribus potentia, fortitudo et ferocia Chaldaeorum, sed hoc nonnisi prooemium est comminationis, perversis et corruptis Judaeis intentandae, quam merito a propheta exspectes. Coram Deo gravissimas querelas effuderat de legum silentio, judiciorum perversitate, hominum violentia, et tantorum malorum remedium quaesiverat. Respondetur divinitus, Chaldaeorum potentiam, formidandam illam et omnibus interitum minantem, brevi instauratum iri: nam haec orationis summa est; sed, quae scilicet maxime ad rem faciebant, Deum hos tanquam ministros elegisse, qui ab impia gente Judaica poenas sumerent, de his ne verbulum quidem additur. Nec, si ista cum sequentibus conjunxeris, quidquam proficies, quin potius in graviorem etiam incides difficultatem. Nam primum propheta ipse sua vineta caedit, et ea mala deprecatur, in quibus ipse

remedium corruptae rei publicae quaesiverat et quorum denuntiatione suos a malitia et perversitate revocare conabatur; tum illam ingruentis belli molem avertere cupit, licet ex verbis divinis nondum apparuisset, illam in Judaeos quoque ingruituram; postremo, quod maximum est, in illa oratione, de qua, quin ad extremum usque caput secundum decurrat, dubium nullum est, multa reperiuntur, quae ad illud tempus pertinere nequeunt, quo vaticinio de restituenda Chaldaeorum potestate et instantibus illorum in Asiam inferiorem irruptionibus nemo adhuc fidem haberet. Quippe inde a vs. 12 ita loquitur, ut facile sentias, eum praesentium malorum sensu, non futurorum exspectatione opprimi: quo prae caeteris pertinet illud effatum vs. 13: *Purior es oculis, quam ut malum videas, neque aequis oculis adspicis violentiam. Quid patienter contemplaris perfidos? siles, dum malus devorat justiorem se.* Jam, quaeso, contende haec ipsa cum primis hujus capitis versibus, et aliam quoque caussam reperies, cur haec ad unum idemque tempus eandemque orationem pertinere minime possint. Utrobique agitur de malorum hominum insolentia et violentia, innocentes circumvenientium et opprimentium, et quemadmodum vs. 4 legimus: כי רשׁע מכתיר את הצדיק, sic vs. 13: בְּבַלַּע רשע צַדִּיק מִמֶּנּוּ. Adeone haec in unius ejusdemque orationis decursu, haud ita multis interiectis, ad diversas personas quisquam facile referet, illud ad Judaeos juris justitiaeque negligentes, hoc ad Chaldaeos eorumdem Judaeorum oppressores? Et tamen hic de Chaldaeis agi certissimum est: quotusquisque autem futurus est interpretum, qui, ut difficultatem tollat, Iustio assentiatur, illos quatuor versus pariter ad Chaldaeos referenti? Equidem hoc non magis ferri posse

arbitror, quam quod hic eosdem justos appellat, quos ante tamquam legum divinarum humanarumque contemtores nobis depinxerat. Scio, quid ad haec responderi posset; verum ista: *Judaei prophetae justi videntur cum Chaldaeis comparati*, vel: *tota gens non significatur, sed pauci tantum piique viri, quos tanta mala pati indignum erat*, mihi saltem non satisfaciunt. Nam posterius mira conjectura est, quam auctoris verba non tuentur; prius ab eo exspectes, qui jam praesentia experitur belli et captivitatis mala, et graviorem hostium saevitiam et injuriam esse videt, quam animo praeceperat; non ab eo, qui genti impiae poenas indicit, nisi forte putes, eum minis suis omnem vim detrahere voluisse. Sed quidem istis commentandis operam otiumque consumimus? In sequentibus enim multa sunt, quae demonstrant, haec scripta non esse, cum victoriae Chaldaeorum a nemine exspectabantur, sed cum eorum imperium et superbia atque arrogantia cum reliquis vitiis, quae ex nimia potentia nasci solent, ad summum culmen pervenerant. Propheta cum Deo expostulat C. I. vs. 12—17, et responsum exspectat C. II. 1. Jam lege et expende, quae Deus ipsi regerit C. II. vs. 2 usque ad finem, et imprimis considera carmen illud satyricum vs. 6 sqq., nec amplius, ut puto, dubitabis. Sistitur nobis Chaldaeus tamquam omnium gentium dominator, qui spolia orbis terrarum corraserit, urbemque suam communiverit et substructiones immanes in altum eduxerit captivorum populorum opibus et sanguine. Mirifice cum his conspirant, quae memorat Berosus apud Josephum l. l. l. l. et hinc apud Euseb. in Chronico p. 29 ed. Maji, narrans, Nebucadnezarum Beli templum et reliquam urbem ex devictarum gentium manubiis munifi-

centissime exornasse novamque regiam condidisse molibus montium instar in coelum eductis, idque opus ingens intra quindecim dies perfectum fuisse, captivorum, ut puto, non minus opera, quam spoliis. Quorum quot millia fuerint, et quanta multitudo perierit gravissimo et irremisso labore exhausta, ex brevissimo hoc temporis spatio conjicere est, ut merito dixeris Habacuci exemplo, haec sanguine condita esse. Beroso de numero dierum suffragatur Abydenus apud Euseb. in Chronico p. 26 et in *Praepar. Euang.* Lib. IX. C. 41, licet rem augeat, triplicem memorans Babylonis murum isto spatio aedificatum fuisse. Ponit rem Berosus statim post expeditionem Nebucadnezari patris morte interruptam, quod non magis ad vivum resecandum est, quam illud Abydeni: *Ναβουχοδονόσορος δὲ διαδεξάμενος τὴν ἀρχὴν, Βαβυλῶνα μὲν ἐτειχίσε κ. τ. λ.* Quantum ex Josephi excerptis colligimus, Berosus varios Chaldaei regis in Syriam expeditiones inter se confuderat et in unam contraxerat. Quo pertinet, quod Nabopolassarus filium contra Satrapem Aegypti, Phoeniciae et Coelesyriae rebellem misisse dicitur, quasi in illis locis ulla ejus auctoritas antea fuisset. Manifesto commiscet bellum cum Nechone et expeditiones postea contra Phoenices, Judaeos populosque circumjacentes susceptas. Quod longe probabilius est, Nebucadnezarum regiae exornandae tum demum vacasse, cum ipsi a continuis bellis quies esset, atque illa igitur opera ad extremam illius aetatem pertinere, idem Berosus testimonio suo confirmat, ubi dicit Nebucadnezarum, *μετὰ τὸ ἄρξασθαι τοῦ προειρημένου τείχους,* morbo correptum decessisse anno regni 43, et munitionem interiorem ad flumen absolvendam reliquisse ultimo suo in imperio successori Nabonnedo. Ergo locus Habacuci, quem

ante citavi, non tantum me permovet, ut illud vaticinium illo priore (C. I. v. 1—11) recentius existimem, sed etiam, ut illud eo tempore scriptum existimem, quo jam dudum, deletis Hierosolymis, gens Judaïca in captivitatem abrepta fuisset. Quae caussa etiam est, cur facile mihi persuadeam, hanc pericopen C. I. vs. 12 — II. vs. 20, vaticiniorum Habacuci, quae aetatem tulerunt, postremam esse et tertium caput illud tempore antecedere. Nam illud eximium carmen, quo nihil in Hebraearum literarum reliquiis est sublimius et magnificentius, fere totum versatur in lyrica descriptione auxilii a Deo populo suo praestiti, cum illum, deletis Aegyptiis, per sinum Arabicum et solitudines in Canaaneam deduceret. Si quaeris, quae pars poëmatis ad Poëtam ejusque tempora pertineat, extremi versus sunt inde a decimo sexto, quibus auctor significat, se memoria rerum olim a Deo in gratiam gentis Israëliticae gestarum summopere commoveri, et tanta divini Numinis et restituendae olim felicitatis fiducia impleri, ut in praesentibus malis acquiescat et patienter ferat hostis irruptionem, agris, vineis et olivetis vastitatem inferentis, gregesque et armenta abripientis. Quae nisi scripta vel effusa sint ante captivitatem Jojachini, cum tot millia hominum in Babyloniam transportata sunt, equidem plane non intelligo, cur nullam omnino popularium suorum in captivitatem abductorum mentionem fecerit.

Vidimus de aetate prophetae, et, quantum praesens nostra ratio postulabat, traditiones, quae de eo feruntur, attigimus, et de scopo atque ordine vaticiniorum, quae supersunt, sententiam diximus. Consentaneum est, ut agamus etiam de prophetae nomine. Nam primum illius forma admodum singularis est; dein ejusmodi commentatio ad eos locos per-

tinet, de quibus in prolegomenis disputari solet. Nomen in hodiernis Codicis Hebraei exemplis plerisque scribitur חֲבַקּוּק cum dagesch forti in tertia litera, licet in nonnullis antiquis editionibus חֲבַקוּק scribi Drusius testatur. Quam duplicationem secundae literae expresserunt veterum complures. Nam apud Alexandrinos vulgo est *Ἀμβακοὺμ*, in vitis prophetarum *Ἀββακοὺμ*, vel *Ἀβακοὺμ*, vel denique, ut in exemplo est Augustano ab Hoeschelio edito, *Ἀμβακοὺμ, ἢ Ἀββακοὺ*, quae ibi explicantur *πατὴρ ἐγέρσεως*, quasi vox ex אַב הֲקִים, vel אַבָּא קוּם, conflata esset. Similiter interpretatur *Ἀμβακοὺμ* Origenes in *Lex. Nom. Hebr.* (Hieronymi opera T. II. p. 246 ed. Mart.), dum in alio ejusdem farinae libro (ibid. p. 114) explicatur *πατὴρ ἐγείρων*; quae, etsi scripta sunt ab hominibus linguae Hebraicae non admodum peritis et solam scriptionem Graecam horum nominum considerantibus, utilitate tamen sua non carent, cum ex illis appareat, secundum Graeculorum istorum opinionem *Ἀμβακοὺμ* ab *Ἀββακοὺμ*, quod etiamnum in Codicibus compluribus et edit. Aldina versionis Alexandrinae legitur, non differre, atque adeo prius illud Mu ex molliori pronuntiatione ortum esse, plane ut *σαμβύκη* vel *σάμβυξ* factum est ex סַבְּכָא, et Ambubajae, quod fidicinarum nomen est apud Romanos, descendit per mascul. *Ambubajus* a Syriaca voce ܐܰܒܘܒܳܝܳܐ *tibicen*, adject. *τοῦ* ܐܰܒܘܒ, Chald. אַבּוּב, *calamus*, *arundo*, et hinc *tibia*, Arab. أَنْبُوبٌ, quod non ad انب, nec ad نَبَّ, sed ad أَبّ pertinere, ostendit cognatum Hebr.-Chald. אָבִיב, pp. *culmus et arista*, quod pariter (ut mensis Nisanis nomen) in אַבִּיבָא apud Chaldaeos abit. Notum est, hanc resolutionem Dagesch fortis in Nun admodum placere Chaldaeis; idemque faciunt Syri, ut v. g. in ܓܢܒܪܳܐ, coll. גִּבּוֹר; nec aliter, ut hoc obiter, data

opportunitate, dicam, explico أَنْفٌ, عَنْزٌ et حِنْطَةٌ, quae me judice sub vera et antiqua forma adhuc servarunt Hebraei et Aramaei, ut אַף proprie sit ex sono formatum *flatus*, *spiritus*, עַז sit *robustus*, ut עֵז, unde عَنْزٌ, et חִטָּה sit *omnis res tenuis et longa*, et hinc *arista*, *culmus*. Cf. hanc in rem, hinc Arab. خَطٌّ *linea*, *stria*, *via recta*, illinc Syriacum ܚܶܛܳܐ, quod et *cuspidem specilli* notat et *triticum*. Nexum vides inter חֵץ *sagittam*, vel potius deperditum illius fem. חִצָּה, et חִטָּה *calamum;* neque origine fortasse diversum fuit עֵץ, quod de *hastili* quoque ponitur II. Sam. XXI. v. 19 et I. Chron. XX. v. 5, dum in loco parallelo I. Sam. XVII. 7 חֵץ est in Kethib, quod ob caussas allatas intactum relinquendum est, nec cum Masorethis in עֵץ mutandum. Ejusdem originis mihi videtur חנית. Cum enim ex חִטָּה factum esset חִנְטָה, proclivis erat formatio nova substantivi חֲנִיט, quod ex falsa pronuntiatione abiit in חֲנִית; unde jam apparet, cur in pl. dictum חניתים et חניתות, tamquam a radice חנת vox descenderet. Sed redeamus in viam. Ad horum igitur, quae hic illustravi, exemplum Ἀμβακοὺμ pro Ἀββακοὺμ dictum est. Jam alii, ad corruptam scriptionem Graecam non attendentes, rectius ad Hebraici vocabuli normam περίληψις explicant. Legitur ista interpretatio in Chronico Paschali, sive exemplo Vitarum prophetarum, quod Dorotheo Tyrio adscribitur; in Lexico nom. pp. Hebr. Origenis, inter Hieronymi opera T. II. p. 187, ubi falso legitur παράληψις; denique apud Hieronymum in praefat. ad Habacucum, ubi Abacuc pro Αμβακουμ scribendum esse monet. Quod ubi considero, nesciam profecto, quo jure ipsi attribuatur illa explicatio, quae in illius operibus l. l. p. 245 legatur, ut *Ambacum* sit *amplexans eos*, atque ille corruptum illud μ pro

affixo Hebraico habuerit. Sed fortasse hoc prius dixerat, dein progressu temporis meliora edoctus est. Idem fortasse de Origene censendum. Licet enim in altero Lexico nominum Hebraeorum nomen explicet *πατὴρ ἐγέρσεως*, quod in solum *Ἀββακοὺμ* convenit, et licet hoc nomen, vel *Ἀμβακοὺμ*, in omnibus hodiernis Codicibus legi videatur, reperimus tamen ܚܒܩܘܩ in Codice versionis Syro-Hexaplaris, qui, si inscriptionibus fides est, ipsa verba libri ex Origeniano autographo ab Eusebio et Pamphilo descripta nobis offert. Accedit, quód ipse Origenes, ut ante diximus, altero in Lexico, quod fortasse provectiore aetate scripsit, reddit *περίληψις*, et quod versio Arabica, Graecam ubique secuta, etiam habet حبقوق. An igitur Tetrapla, ex quibus prophetas minores Syriace versos esse constat, Hexaplis recentiora esse statuendum est? tum Arabicam interpretationem ex illis, non ex his fluxisse? porro nullum amplius Codicem superesse Tetraplorum, sed hodiernos Codices omnes esse aut communis editionis, aut Hexaplares, aut mixtos? postremo illud *Ἀβακουκ* unam esse ex illis diversis lectionibus, natis ex nova Alexandrinorum epicrisi, cujus verum discrimen inter Tetrapla et Hexapla constituentis aliud etiam memoratur exemplum in nota marginali versionis illius Syriacae? Quod vero ad terminationem illam *κουμ* hujus nominis attinet, fuerunt inter viros doctos, qui ortam illam esse arbitrarentur ex euphoniae studio, et fatendum est, formam illam barbaram *Ἀββακουκ* Graecis auribus placere non potuisse. At alias etiam formas intactas reliquerunt haud multum suaviores; quapropter verosimilius videtur, illam varietatem ortam esse ex litera ק in מ corrupta. In Codicibus hodiernis ex demta vel praeter rem addita cauda literae

ק mutatio illa non est infrequens (cf. Dissert. gener. cod. 4 et 355), et figuras literarum illarum veteres non minus confundi potuisse, intelligitur cum ex observatione Bocharti, ad Gen. C. XI. v. 26 et 32, hinc explicantis discrimen inter textum Hebraeum, qui Therachum annos 205, i. e. קקה, vixisse perhibet, et Codicem versionemque Samaritanam, quae eidem Theracho annos 145, i. e. קמה, adscribunt. Quin etiam in scriptura Palmyrana non multum diversae sunt literae Mem et Koph (Kopp, *Bild. und Schrift.* T. II. p. 260); idemque valet de scriptura, quam Aramaeam veterem appellat Koppius, ego Hebraeo-Aegyptiam. Vide *Bild. und Schrift.* II. p. 389, coll. 395, et Monumenta Phoenicia edita a M. A. Lancio in libro, cui titulus *La sacra scrittura illustrata con monumenti Fenico-Assiri ed Egiziani.* Tav. I. Romae 1827. Hoc de Graecis vocis formis. Latina pronuntiatio *Habacuc*, quae ex Vulgata in linguas Europaeas transiit, respondet Hebraicae חַבְקוּק, vel potius חֲבָקוּק, si nempe Hăbācuc pronuntietur. Prius est formae שַׁעֲרוּר, quacum Gesenius et Rosenmullerus miro errore scriptionem חֲבַקּוּק comparant: posterius alias Hebraeis inauditum, si pro חֲבָאקוּק scriptum sit, forsitan haud ineptam explicationem offerat formae חֲבַקּוּק, ut dagesch forte ex longae vocalis correptione ortum sit, sive ut haec nata existimetur ex Dagesch fortis omissione. Illud si praefers, חֲבָאקוּק erit Inf. Sp. XI. Arabicae اِفْقَادٌ, pro فَقَادَ, i. e. פְּקוֹדַד vel פְּקָדַד pro פְּקָאדַד, nam Elif vocale Arabum potest respondere τῷ Kamets longo, non minus quam τῷ Cholem longo Hebraeorum, eâdemque analogiâ etiam nunc פּוֹקֵד, nunc פָּקֵד, pro פָּאקֵד (quo exempla apud Ges. in *Lehrgeb.* p. 251 n. 2 et forma הִתְפָּקֵד pertinent), analogum est τῷ فاقد Arabum. Gesenius existimat, haec in Pihhel et Hith-

pahhel esse posita, ob dagesch omissum vocali producta, et videtur illius sententiam hoc tueri, quod הִתְפָּקֵד reflexivum, *sui censum habuit* populus, possit referri ad פִּקֵד, semel Jes. C. XIII. vs. 4 *lustrandi* et *recensendi* notionem habens. Nobis vero hoc praeplacet, has species פַּקֵד פַּקֵד et פִּקֵד, alias פּוֹקֵד pronuntiatum, sive قَقَّلَ et قَاقَلَ, nunc quidem diversas, sed ab initio easdem fuisse, eamque opinionem derivamus ex ipsa illa lege productae vocalis ob omissum, et correptae ob insertum dagesch, tum ex significationis intensivae similitudine, quam in ipsis illis speciebus et in nominibus inde derivatis cerni, in commentatione de pluralium fractorum natura et origine probaturi sumus. Confirmat denique eandem sententiam usus fere perpetuus hujus formae pohel pro pihhel in verbis geminantibus secundam radicalem sive potius monosyllabis, quae cum omnia antiquissima videantur, simul confirmant pohel vetustius esse, quam pihhel. Cum vero pro triplici vocali totidem intensivae formae creatae essent, פָּאקֵד, פִּיקֵד vel פֵּיקֵד et פּוֹקֵד, postremam in activis non corripuerunt, cum sic passivum exstitisset פֻּקַּד, قُقِّلَ, ex duabus autem prioribus fecerunt פַּקֵד et פִּקֵד. Antiquioris rationis exemplum est הֵתֵל, praeteritum habens ex הֵיתֵל, fut. יְהָתֵל cum inf. הָתֵל pro הָאתֵל, et contra יְהַתֵּל, fut. recentius ex pihhel, dum הוֹתֵל pro הוֹתֵל est ex pohal ad normam τοῦ فُوقِلَ. Consequens est igitur, ut ex ejusdem analogiae lege intensiva Species nona Alef inserto formata, פְּקָאדֵד, mutata fuerit in פִּקְדֵד. Cum vero nomen abstractum Speciei IX sit פַּקְדוּד, ut נַאֲפוּף, hujus intensivae infinitivus necessario fuerit פְּקָאדוּד, פִּקְדוּד, ut adeo nomen actionis חֲבָאקוּק, et hinc ortum חֲבַקּוּק, notaverit ipsa vi formae *vehementissimum amplexum* vel *amorem*. Obiter observo, hic eandem analogiam cerni, atque in formis Pāhel, Pihel,

Pohel, quas etiam פַּאְקֵד, פִּוְקֵד et פּוּקֵד efferri potuisse, verba طَأْمَنَ, هَوْجَلَ et بَيْقَرَ, et alia ad idem exemplum ficta, ostendunt. Habemus nempe إِسْمَأَدَّ, et hinc إِسْمَأَدَّ, *ira percitus fuit*, formae פְּקְאֵדֵד a سمد, et إِعْثَوْجَجَ *negotium celeriter peregit*, f. פְּקְוֵקֵד ab عثج, et Inf. utriusque verbi إِسْمِئْدَادٌ et إِعْثِيجَاجٌ, a פְּקִידֵד. Caeterum non repugno, si quis aliam viam secutus Dagesch forte ex litera Nun inter secundam et tertiam radicalem inserta, aut ex triplicata tertia, ortum putet, ut חֲבַקּוּק derivetur a verbo חֲבַקֵּק pro חֲבַנְקֵק, vel חֲבַקְקֵק. Utriusque formae exempla sunt apud Arabes, quorum Species verbi 14 est إِفْعَنْلَلَ. Exempla sunt: إِعْلَنْكَكَ *luxuriavit coma*, ab علك, إِعْفَنْجَجَ *properavit in incessu*, ab. عفج, unde عَفَنْجَجٌ *camelus velox*, et إِسْحَنْكَكَ *valde tenebricosa fuit nox*, *Chr. Koseg.* p. 60, pr. a سحك, quod ex Hebr. חָשַׁךְ transpositum videtur. Etiam apud Arabes, alias Nun proximae literae non assimilantes, sunt formae quadriliterae, ut إِخْرِمَّاسٌ, إِدْرِمَّاجٌ, إِهْرِمَّاعٌ, etc., quas Lumsdenus *Gramm. of the Arabic Language*, p. 248, refert ad إِفْعِلَّالٌ, pro إِفْعِنْلَالٌ. Sed poterunt eaedem quoque exigi ad normam nominum verbalium tertiam radicalem triplicantium. In his est إِبْيِضَّاضٌ *admodum album fieri*, quod Lumsdenus quidem l. l. refert ad إِبْيَضَّضَ, ad normam τοῦ إِكْفِهْرَارٌ, non vero إِكْفِهَارٌّ, ex إِكْفَهَرَّ, sed pertinere etiam poterit ad إِبْيَضَّضَ, quod intensivum fuerit nonae formae ابيضّ, atque adeo synonymum undecimae, ابياضّ, pro ابياضض, nisi forte, quod equidem praeferam, hae geminae formae eaedem sint, et ابيضّ ex ابياضض contractum exemplo suo luculenter confirmet illam contractionem vocis חֲבַקּוּק, ex חֲבָאקוּק, de qua paullo ante uberius sententiam diximus.

ANNOTATIO

AD

PSALMOS SEPTEMDECIM PRIMOS,

AUCTORE

T. ROORDA.



ANNOTATIO

AD

PSALMOS SEPTEMDECIM PRIMOS.

AD PSALMUM SECUNDUM.

Ad colon 12^{um}. — Vocabulum בַּר qùid hîc significet, disputant interpretes. Plerique hîc et Prov. 31: 2, perinde atque in Aramaeo sermone, *filium* significare statuerunt; et verò adeo convenit huic loco ea significatio, ut non facilè aliam desiderasset quisquam, si satis certa esset et comprobata. Atqui *filius* in Hebraeo sermone בֵּן dicitur, etiam in ipso hoc carmine colo 7mo; et ultimum illud libri Proverbiorum caput quis scripserit, et ubi et quando vixerit auctor, prorsus incertum est, adeo ut isthac auctoritate, quâ probetur, etiam Hebraïce, et Salomonis aetate, *filium* בַּר esse dictum, non liceat uti. Propterea igitur aliam in hoc loco tribuendam esse vocabulo significationem, multi censuerunt interpretes; sed magnâ inter se dissensione; et usque hodie nemo tam felix fuit, ut suam sententiam omnibus posset probare. Ego non dubito, quin vocabulum ét hîc, ét in illo Proverbiorum loco, *dilectum* designet, *praecipue dilectum filium*, vernaculâ linguâ *lieveling*. Certissima haec est si-

gnificatio ex usu feminini בָּרָה de filiâ Cant. 6: 9, ubi de puellâ suâ amator: בָּרָה הִיא לְיֽוֹלַדְתָּהּ *dilecta est genetrici suae;* quibus verbis in antecedente membro haec respondent: אַחַת הִיא לְאִמָּהּ *unica est matri suae.* Et quis non videt, quàm apte in hoc psalmo secundo rex, qui carminis argumentum est, *dilectus*, id est dilectus Dei filius, appelletur, plane sicuti Christus Luc. 23: 35 *ὁ τοῦ θεοῦ ἐκλεκτὸς,* et Eph. 1: 6 simpliciter *ὁ ἠγαπημένος* dicitur? Totum enim carminis argumentum in eo versatur, ut ostendatur, quàm vani sint principum rebellantium conatûs, quum rex, cui obedire detrectent, non tantùm ab ipso Iehovâ constitutus, sed is sit, quem ipse filium suum declaraverit, id est, quem paterno amore et praecipue diligat, secundùm oraculum 2 Sam. 7: 14, quod poëta ob oculos habuit. Quod autem vocabulum sine articulo enuntiatum est, id nequaquam obstat, quominus illo, quem dixi, accipiatur sensu. Haec enim poëtarum Hebraeorum consuetudo est, ut vocabula, quamvis definitam designent rem vel personam, sine articulo proferant, appellativa nomina tanquam propria usurpantes. Vid. Gramm. Hebr. § 473. Exempla qui desideret, in ipso hoc inveniat carmine, veluti colo 4° in יוֹשֵׁב, colo 8° in גּוֹיִם et אַפְסֵי־אָרֶץ.

In Proverbiorum loco laudato vocabulum בַּר non ex Aramaei, sed Hebraei sermonis usu ab auctore usurpatum esse, persuasissimum habeo. Neque etiam Aramaeum ܒܪ pro בֵּן dictum esse censeo, litteris liquidis נ et ר inter se permutatis, sed proprie et a principio, perinde atque Hebraeum בַּר, *dilectum* (*lieveling*) significasse, et de filio parentibus praecipue dilecto usurpatum fuisse, deinde autem per frequentem vocabuli usum factum esse, ut propria illa vis in

oblivionem iret, et universe ac simpliciter *filius* eo significaretur.

AD PSALMUM TERTIUM.

Ad colon 3^{tium}. — רַבִּים hîc oppositum est antecedenti רַבִּים in secundo hemistichio coli 2^{di}, ante quod non repetendum est מָה e primo hemistichio. Eo ipso, quòd iteratur vocabulum, sensus est: *iterum multi*, sive *secundi* vel *alii multi*. Significantur Davidis in fugâ comites, qui, quamvis regem suum non deseruissent, tamen de causâ eius diffidentes et desperantes metuebant, ne deseruisset eum Deus.

Ad colon 6^{tum}. — Pronomen personale אֲנִי ante verbum personale hîc, ut plerumque, *oppositionis* causâ expressum est. In hoc et sequenti colo *suam* in Deo fiduciam opponit *multorum*, id est comitum suorum, diffidentiae (colo 3^{tio}). *Me*, inquit, mea, quam in Deo collocavi, fiducia adeo tranquillum esse sinit, ut securus dormire potuerim. Nec verò fefellit me fiducia mea; integer et salvus *evigilavi: nam Jehova tuetur me.*

AD PSALMUM QUARTUM.

Ad colon 3^{tium}. — Inter בְּנֵי־אִישׁ et בְּנֵי אָדָם hoc discrimen esse videtur, quòd, quum illud *viros*, hoc *homines* significet, illud in viris compellandis honoratius habitum sit. Hîc Davides comites suos milites compellat. A nonnullis horum serebantur sermones, quorum argumentum indicatum est ps. 3: 3. A talibus sermonibus ipsi probrosis, et vanis falsisque, desistant, vult.

Ad colon 4^{tum}. — Particula ו in וּדְעוּ hîc vulgarem habet copulandi vim. Coniungitur cum antecedenti sententiâ iuxta

sensum, qui hic est: *Ne amplius honorem meum probro afficiatis vanis istis falsisque sermonibus.* Cui aptissime subiungitur: *et agnoscite, Iehovam* etc. — Sequentia autem huius membri verba aptum non praebent sensum. Primum enim non apparet, cur חָסִיד לוֹ dixerit poëta pro חֲסִידוֹ. Ut *indefinitum* sit nomén? At enim sic etiam minùs significat, *se* ipsum esse, qui eximiâ Dei fruatur gratiâ: qui tamen verborum sensus sit. Tum sumunt quidem interpretes, verbum הִפְלָה (alias הִפְלִיא), quod proprie *distinguere* significat, hîc eodem modo in bonum sensum usurpari, ac Gallicum *distinguer.* Sed Hebraïcum verbum hoc, quem ei hîc tribuunt, sensu non magis usitatum est, quàm Latinum *distinguere.* Conferatur modo Ies. 29: 14. Idcirco pro חָסִיד לוֹ legendum esse arbitror חַסְדּוֹ לִי. Litterae ד, ו et י, quae nonnisi latitudine et longitudine differunt, facilè a scribis librariis inter se permutari potuerunt: et, si conferantur ps. 31: 22 et 17: 7, vix dubitari posse credam, ita scripsisse poëtam. Sic aptius quoque cum hoc cohaeret membrum sequens.

Ad colon 5tum. — Transferendum est sic: *Commovemini* (licet), *sed ne peccetis: dicite in animis vestris in cubilibus vestris, sed silete.* Non veto vos, inquit, anxios et sollicitos esse: sed cavete, ne quid ideo peccetis; sive in me sermonibus istis mihi probrosis, sive in Deum diffidentiâ; sive eo, quòd, quum sermones vestri etiam ceteros animum despondere faciant, bonae causae noceatis successui. Anxias istas curas cum animis vestris volvite in lectulis vestris; sed silete.

Colo 6to addit: *Facite sacrificia iusta, et confidite Iehovae. Facite*, quod vestrum officium est, *sacrificia iusta*, quibus

numen reddatur propitium: sed, hoc facto, vos Deo committite. Apparet autem ex his Davidis verbis, illâ aetate iusta et legitima fieri potuisse sacrificia in omnibus locis, etiam procul ab arcâ foederis.

Ad colon 7^{mum}: *Multi dicunt: Quis videre nos faciet bonum? Tolle super nos lucem vultûs tui, Iehova!* Haec omnia verba esse videntur anxiorum et desperantium Davidis comitum: nam ipse colo sequenti sibi propitium Dei favorem iam apparuisse, Iehovam super ipsos lucem vultûs sui iam extulisse dicit.

Ad colon 8^{um}. — *Indidisti laetitiam animo meo, ex quo frumentum mustumque eorum facta sunt copiosa.* Spectat Davides, quod narratum legimus 2 Sam. 17: 27 sqq., postquam rex cum suis Mahanaëmum venisset, aliquot in iis regionibus viros copiosum ipsi et comitibus eius sponte suâ prospexisse commeatum. Ex hoc iam cognoverat, se numen habere sibi propitium.

Ad colon 9^{num}. — יַחְדָּו vix aliud quicquam hîc significare potest, quàm *unâ*. unâ cum ceteris, *pariter* ac ceteri: atque ita intelligitur, Davidem hoc carmen fecisse, postquam ceteris, certe plerisque, suis comitibus iam dormientibus ad multam noctem vigilasset, regias suas curas animo suo volvens, sed tandem hoc carmine et his ad Deum precibus levans ac deponens hac cogitatione, solum Iehovam ipsum tueri et pro ipso vigilare posse.

AD PSALMUM QUINTUM.

Ad colon 3^{tium} et 4^{tum}. — Recte Graecus interpres Alexandrinus יהוה, quod a Masorethis cum quarto colo iunctum est, cum tertio iunxisse videtur. Quin postulat hoc membrorum parallelismus, quum ita in posteriori tertii coli mem-

bro sit, quod isti מַלְכִּי וֵֽאלֹהָי in priori respondeat. Postulat quoque illud אֵלֶיךָ, tam significanter ante verbum collocatum. Arctissime autem quartum colon cum tertio cohaeret: sedulum Iehovae se poëta dicit cultorem esse, qui iam cum aurorâ pie numen eius veneretur et adoret. Singulae huius carminis strophae tribus colis constant.

Ad colon 5tum et 6tum. — לֹא יְגֻרְךָ רָע *non fruitur hospitio tuo malus;* id est, ex moribus Orientalium, non protegis eum. De commoratione in aede sacrâ nullo modo cogitavit poëta, neque in quinto, neque in sexto colo. Nam יִתְיַצְּבוּ non est vertendum *sistunt se*, sed *subsistunt*. *non subsistunt coram oculis tuis*, id est oculi tui sancti eum tolerare nequeunt. Parallelum est שָׂנֵאתָ *odisti.* — Vocabulum הוֹלְלִים, *superbi*, et ipsum verbum הָלַל *superbiendi* sensu, quum, praeterquam in hoc carmine, nonnisi in psalmo 73tio et 75to reperiantur, qui uterque Asapho tribuitur poëtae; veri haud dissimile esse videatur, hoc carmen eundem habuisse auctorem. Comprobatur hoc eo, quòd animi sensûs, qui in hoc carmine produntur, cum iis, qui in 73tio psalmo regnant, omnino conspirant. Fortasse etiam sequens psalmus sextus eundem auctorem habuit: nam etiam huius poëtae lucta est cum impiis et improbis, eosque pietati suae periculosos sentit.

Ad colon 8vum et 9num. Suspicor, ultimam 8vi coli vocem בְּיִרְאָתֶךָ cum 9no esse iungendum, ut in parallelismo conveniat cum בְצִדְקָתֶךָ, atque huius coli tria membra in hunc modum distribuenda esse:

בְּיִרְאָתֶךָ יְהוָֹה נְחֵנִי
בְצִדְקָתֶךָ לְמַעַן שׁוֹרְרָי
הַיְשַׁר לְפָנַי דַּרְכֶּךָ׃

In reverentiâ tui, Iehova, duc me; in iustitiâ tuâ propter insidiatores meos: aequam fac coram me viam tuam. Sensus est: Duc me ita, ut maneam in reverentiâ tui, tuque me, ut pium tuum cultorem, fortunes. Fac me incedere in planâ et aequâ viâ, ne facilè labar. Fac ita propter insidiatores meos, id est, ut sequens colon declarat, propter impios et improbos, qui me a tuo cultu et pietate meâ seducere tentant.

Ad colon 11mum. — Verba יִפְּלוּ מִמֹּעֲצוֹתֵיהֶם usus linguae et parallelismus membrorum non permittunt aliter vertere, quam hoc modo: *cadant propter consilia sua.* Praepositio מִן ita *causam* significat valetque idem ac vernaculum *van wege.* Sensus igitur est: *cadere eos faciant ipsa eorum consilia.* Atqui, licet idem sensus sit, valde tamen placet, quod coniecit, sed ipse improbavit, Hitzig: יַפִּלוּם מֹעֲצוֹתֵיהֶם. Sequens parallelum membrum בְּרֹב פִּשְׁעֵיהֶם הַדִּיחֵמוֹ verti debet: *in multitudine flagitiorum eorum impelle eos;* id est, fac eos in multitudine flagitiorum suorum adeo proruere, ut ruant in perniciem.

AD PSALMUM SEXTUM.

Ad colon 3tium. — In אֻמְלַל אָנִי prior vox in ultimâ syllabâ Pathach pro Kamets habet. Nam, quando duae voces, quarum prior acuta, altera monosyllaba vel bisyllaba paenacuta est, arctiùs iunguntur, tunc saepissime, ut evitetur duarum syllabarum, quae ambae tonum habent, concursus, prior vox accentu suo privatur, atque, quae vocalis in ultimâ eius compositâ syllabâ propter tonum paululum producta fuerat, corripitur. Arctior ambarum vocum coniunctio hoc in casu plerumque per lineolam Makkeph significatur: sed, quum nonnunquam alibi haec lineola neglecta sit, tum, ut hîc

adderetur, certe non erat necesse, quoniam per accentum Merca cum Mahphac, ultimae prioris et primae posterioris vocis syllabae tanquam duabus unius vocis syllabis adscriptum, arctior illa coniunctio satis indicabatur. In uno tamen manu scripto exemplari lineolam Makkeph ex abundanti adscriptam invenit J. H. Michaëlis. Cf. Gramm. Hebr. § 58 in annotatione 2dâ.

Ad colon 4tum. — Hîc et quater alibi, 1 Sam. 24: 19, Iob. 1: 10, Eccl. 7: 22 et Neh. 9: 6, Masorethae pronomen 2dae pers. masculinum את scriptum invenientes, legere iusserunt אַתָּה. In Grammaticâ Hebraeâ, § 89 in notâ 1, veri simile esse dixi, in iis locis pronuntiandum esse אַתְּ, quemadmodum in tribus aliis locis illud masculinum pronomen sine ה scriptum etiam a Masorethis editum est: Num. 11: 15, Deut. 5; 24 et Ezech. 28: 14: in omnibus igitur his locis eam huius pronominis formam, quâ femininum genus distingui solet, tanquam communis generis pro masculino usurpatam fuisse. Quod nunc veri admodum dissimile esse videtur. Quin potiùs statuendum est, auctores Hebraeos in omnibus illis locis ideo את sine ה scripsisse, quòd non, ut vulgò אַתָּה, sed expressiùs et cum gravitate, sicut in pausâ, cum tono in primâ syllabâ אָֽתְּ pronuntiarent. Cf. Gramm. Hebraeae § 79.

AD PSALMUM SEPTIMUM.

Ad colon 3tium. — Singulari numero utitur poëta, quia de inimicis suis *in universum* loquitur, quod expresse dixit in colo antecedente: *libera me* מִכָּל־רֹדְפַי *ab universo persequutorum meorum.* Cf. Gramm. Hebr. § 589 ct 597 in notâ.

Ad colon 8vum. — In verbis וְעָלֶיהָ לַמָּרוֹם שׁוּבָה vix dubito,

quin pro שובה auctor scripserit שבה, quod pronuntiandum sit שֵׁבָה: *et super eâ* (concione gentium) *in sedem altam* (sedem iudicis) *conside.* Quum verus verborum sensus non intelligeretur, et statueretur, לַמָּרוֹם *in altum*, id est *in coelum*, hîc significare, שבה perperam שָׁבָה pronuntiatum ac deinde שובה scriptum est. De constructione verbi יָשַׁב cum praepositione ל conferatur ps. 9: 5, יָשַׁבְתָּ לְכִסֵּא שׁוֹפֵט צֶדֶק *consedisti in solium iudex iustus.* — Poëtam hîc non, ut vulgò statuitur, Iehovam fingere peracto iudicio revertentem in coelum, sequentia cola declarare possunt, in quibus Iehovam ad ius dicendum sibi proponit sedentem, eumque, ut iuste ipsum iudicet, precatur.

Ad colon 9^{num}: יְהוָה יָדִין עַמִּים שָׁפְטֵנִי יְהוָה כְּצִדְקִי וּכְתֻמִּי עָלָי. Si recte sic legitur, verba, spretâ Masorethicâ membrorum distinctione, sic vertenda esse arbitror: *Iehova iudicabit populos. Iudica me, Iehova, secundum iustitiam meam, et secundum integritatem meam, quâ indutus sum.* Hoc enim significare potest עָלָי *super me*, ut poëta hîc integritatem suam tanquam vestem dicat, quae *super* ipso sit, id est, quâ indutus sit. Cf. Job. 29: 14. Sed, an recte sic legatur, dubitari posse censeo, quum ideo, quòd alibi praepositio עַל· sic non offenditur usurpata, tum etiam, quia sic pronomen in תֻּמִּי abundat. Suspicor pro וכתמיעלי legendum esse וּכְתֹם פָּעֳלִי *et secundum integritatem actionum mearum* (ad verbum *agere mei*). In antiquâ scripturâ, in quâ littera ף nondum habebat curvatam istam figuram פ, quam nunc in principio et medio vocum habet, et littera י non multum differebat a ו, illae duae litterae faciliùs, quam nunc, inter se confundi potuerunt.

Ad colon 10^{mum}: יִגְמָר־נָא רַע רְשָׁעִים וּתְכוֹנֵן צַדִּיק וּבֹחֵן לִבּוֹת וּכְלָיוֹת

אֱלֹהִים צַדִּיק. Haec verba, ut vulgò leguntur, aptam et linguae Hebraeae consentaneam constructionem non admittunt. Mendum in verbis esse, agnoscunt ii, qui coniunctionem in וּבֹחֵן auctoritate Graecae Alexandrinae ac Syriacae translationum, in quibus non expressa est, delendam esse arbitrantur. At enim ex eo, quòd harum translationum auctores eam particulam non expresserunt, non confici posse, eam ab iis in codicibus suis non lectam fuisse, nemo ignorat. Syrus interpres saepissime Graecae Alexandrinae translationis potiùs, quàm exemplaris sui Hebraïci, sequitur auctoritatem, et Alexandrinus interpres ideo fortasse coniunctionem in translatione omittendum censuit, quòd Graecae linguae consuetudini in hoc loco non conveniret. Nec verò coniunctione illâ deletâ omnis expedita est difficultas. Maxima est in illo וּתְכוֹנֵן. Etenim non potest in modo iubendi accipi, ut vertatur *et stabilias iustum:* nam secunda persona in modo iubendi Hebraeis inusitata est, in hac personâ, nisi negativa sententia est, modum imperandi usurpantibus (v. Gramm. Hebr. § 371, 372 et 542 in notis). Nec magis pro Imperfecto haberi potest: nam non tantùm Imperfectum, si, ut hîc, simplicem coniunctionem ו praefixam habet, modi iubendi habere solet vim, praesertim si verbum in iubendi vel imperandi modo antecedit; sed hîc modum iubendi requirit quoque parallelismus membrorum. Idcirco igitur non in illo ו in וּבֹחֵן, sed in hoc ו in וּתְכוֹנֵן, mendum esse iudico; non autem hoc delendum, sed, quae levissima mutatio est, in י olim ei simillimum mutandum esse, ut legatur et pronuntietur יִתְכּוֹנֵן *stabiliatur iustus*, idest *stabilis et firma sit iustorum sors.* Tum consequens est, ut pro וּבֹחֵן pronuntietur וּבְחַן. Ultima autem verba אֱלֹהִים צַדִּיק transferri debent,

Deus iustus est, et iungi cum colo sequenti, ut nova iis inchoëtur strophe. Hoc igitur colon 10mum tribus, sicut antecedens 9num, constat membris:

Cesset tandem malum improborum;
Stabiliatur iustus:
Et explora corda renesque.

Ad colon 13um: וְלוֹ הֵכִין כְּלֵי־מָוֶת *et in ipsum directa habet lethalia tela.* Cum significantiâ initio enuntiationis collocatum est לוֹ *in ipsum* (improbum, pii poëtae inimicum). Antecedit enim, nisi desistat improbus, gladium suum acuturum esse Deum; arcum suum Deum iam tensum habere atque aptatum, id est, collato ps. 11: 2, aptatas in arcu sagittas. Nunc additur: *et in ipsum* (ut, nisi desistat, statim in eum iaculetur) *directa habet lethalia tela.* — Sequentia verba, חִצָּיו לְדֹלְקִים יִפְעָל *sagittas suas missilia ardentia facit* (sive *faciet;* linguâ vernaculâ: *zijn pijlen maakt hij*, of *zal hij maken, tot branders* of *brandpijlen*), significant Deum pro sagittis fulminibus uti.

AD PSALMUM OCTAVUM.

Ad colon 2um: אֲשֶׁר תְּנָה הוֹדְךָ עַל־הַשָּׁמָיִם. Vehementer miror, H. E. G. Pauli coniecturam, pro תְּנָה pronuntiandum esse תֻּנָּה *laudatur, celebratur*, non iam dudum omnibus interpretibus ita placuisse, ut eam felicissimam et verissimam iudicarent emendationem. Masorethae perperam תְּנָה pronuntiarunt, quia perperam vocem interpretabantur. Nam secundum eam, quam traditione acceperant, interpretationem, quam Chaldaïca, ac Symmachi Graeca et Hieronymi Latina translatio (*posuisti*) conservavit, vocem תנה a verbo נָתַן derivatam esse censuerunt, ideoque, ut aliquam ab hoc verbo derivatam

formam haberet, תְּנָה pronuntiarunt, tanquam Infinitivum nominalem cum terminatione femininâ, sicuti רְדָה Gen. 46: 3. Quam Masorethicam interpretationem si improbamus, quid est, cur retineamus istam pronuntiationem, neque efferamus cum Graeco Alexandrino interprete, qui ἐπήρθη reddidit, תֻּנָּה? Quod enim dicit De Wette, *laudandi* seu *celebrandi* verbum non congruere cum eo, quod additur, עַל־הַשָּׁמָיִם *super coelo*, in eo fallitur. Nam praepositio עַל hîc non eo sensu accipienda est, ut vernaculo *boven* reddatur. Valet hîc vernaculum *over*, quemadmodum עַל־הָאָרֶץ non tantùm significat *boven de aarde*, vel *op de aarde*, sed etiam *over de aarde*. Eodem modo ps. 148: 13 legitur: הוֹדוֹ עַל־אֶרֶץ וְשָׁמָיִם *gloria eius super terrâ et coelo est;* id est, *gloria eius patet, quâ patet terra coelumque.* Igitur sensus verborum est: *cuius celebratur gloria, quâ patet coelum.* Respondet in antecedenti membro parallelo בְּכָל־הָאָרֶץ *per omnem terram*, id est *quâ patet terra.* Quod autem Hitzig dixit, ideo non licere תֻּנָּה pronuntiare et *celebratur* transferre, quòd nusquam in hoc carmine de *celebratione laudis* divinae sermo sit, id an satis considerate dixerit, videat ipse vir acutissimus. Quid enim designet, si proprium spectemus verborum sensum, proxime sequens מִפִּי *ex ore* etc.? Et quis adeo hebes est, quin sentiat, poëtam hîc non *proprio* sensu intelligi voluisse, sed eo, quo legitur ps. 19: 2: *coeli praedicant gloriam numinis?*

Ad colon 3um: לְהַשְׁבִּית אוֹיֵב וּמִתְנַקֵּם. Quum verbum נָקַם, نقم, in sermone Arabico, praeter *ulciscendi*, etiam *obiurgandi*, *reprehendendi* et *culpandi* notione usitatum sit, non dubium esse videtur, quin vocabulum מִתְנַקֵּם et hîc, et ps. 44: 17, ubi pariter cum אוֹיֵב coniungitur, *obiurgatorem* seu *repre-*

hensorem significet. Utrobique *ultorem* designare nequit; et, quum ps. 44: 17 pro אוֹיֵב וּמִתְנַקֵּם in priore hemistichio מְחָרֵף וּמְגַדֵּף, *obtrectator et convitiator*, positum sit, illa verbi significatio in Hebraïcae quoque linguae usu certissima est.— הַשְׁבִּית, *cessare facere*, inimicum et reprehensorem, hîc denotat facere, ut non amplius inimico animo sint neque obiurgent culpentve.

AD PSALMUM NONUM.

Ad colon 1um. — Pro עַל־מוּת לַבֵּן, ut vulgo legitur, in Graecâ translatione Alexandrinâ est *ὑπὲρ τῶν κρυφίων τοῦ υἱοῦ*, ut manifestum sit, interpretem in suo exemplari pro על־מות, vel, ut in aliis libris unâ voce exaratum est, עלמות, scriptum invenisse על עלמות, quemadmodum etiam in inscriptione psalmi 46i et 1 Chron. 15: 20 legitur. Sic igitur hîc quoque principio scriptum fuisse, vix dubitari posse videtur: nam facilè על ante עלמות, quod easdem duas litteras primas habet, scribarum librariorum incuriâ omitti potuit. עַל־עֲלָמוֹת certum modum significare, quo carmen canendum esset, probabile esse videtur: sed, quod nonnulli statuunt, עֲלָמוֹת primam vocem noti carminis fuisse, ad cuius modum esset canendum, non facilè conciliari posse credo cum loco e Chronicis modo citato. Quicquid huius sit, certe pro לַבֵּן pronuntiandum est לְבֵן; et בֵּן hîc, sicuti 1 Chron. 15: 18, nomen Levitae vel potiùs gentis ipsius proprium esse, iam ab aliis observatum est. Eodem modo לִידוּתוּן legitur in inscriptione psalmi 62i. Masorethae עַל־מוּת לַבֵּן pronuntiarunt, quia secundum interpretationem, quam sibi traditam habebant, utque ex Chaldaïcâ novimus translatione, carmen in mortem Goliathi a Davide compositum esse, his verbis opinabantur significari, et pro-

prium sensum esse hunc: *super morte eius, qui inter* (castra) *erat.*

Ad colon 7um. Optima huius coli interpretatio ea est, quâ in verbis הָאוֹיֵב תַּמּוּ חֳרָבוֹת לָנֶצַח verbum תַּמּוּ non secundum Masorethicos accentûs cum sequenti, sed cum antecedenti, ut subiecto construitur. Ita sensus est: *Hostes extincti sunt penitus; — ruinae in perpetuum!* vel ita, ut verba חֳרָבוֹת לָנֶצַח cum antecedentibus pro complemento adverbiali constructa esse censeantur: *Hostes extincti sunt penitus, ita ut ruinae in perpetuum sint.* Facilè tamen, credo, omnes sermonis stylique Hebraïci periti confitebuntur, utrumque admodum durum esse et a stylo Hebraeorum, etiam poëtarum, alienum. Ideo suspicatus sum, ante חֳרָבוֹת vocabulum excidisse. Num excidit אַרְצָמוֹ, et causa, cur exciderit, haec fuit, quòd in hac voce et antecedenti תמו duae ultimae litterae eaedem erant? — an אַדְמָתָמוֹ? Sic enim tres ultimae litterae eaedem fuissent cum tribus antecedentis, et verò etiam ceterarum אדמ cum ultimis praecedentis vocis האויב magna similitudo. — In sequentibus verbis, וְעָרִים נָתַשְׁתָּ אָבַד זִכְרָם הֵמָּה *urbesque eruisti, periit ipsorum memoria*, animadvertendum est, verbum נָתַשׁ semper evulsionem violentamque remotionem *e terrâ* significare, ut arboris ex humo, populi e solo patriae, sic hîc oppidorum; et pronomini inseparabili in זִכְרָם adiunctum esse separatum הֵמָּה, ut expressiùs pronuntiaretur pronomen, atque ita oppidis erutis, de quibus in antecedenti articulo sermo fuisset, significanter opponerentur, qui pronomine masculino designantur, eorum incolae. Conferatur Grammaticae Hebraeae § 500. Etiam memoriam veterum populi hostium deletam esse dicit poëta. Videlicet in his primis huius carminis colis,

a 2^{do} ad 7^{um}, laudatur Iehova, quòd ab antiquis hostibus populum liberaverat, atque ita suam erga suum populum praestiterat iustitiam; deinde, usque ad colon 11, Iehovae iustitia ut perpetua atque in universum celebratur; ac tum demum, universo antecedentium argumento in 12^{mo} et 13^{o} primùm breviter repetito, cum 14^{o} transitur ad preces, ut etiam a praesentibus adversariis populum Iehova liberet, et horum quoque interitûs, ut certi et iustitiae Iehovae consequentis, praedictionem.

Ad colon 8^{um}. Prima huius coli verba, וַיהוָה לְעוֹלָם יֵשֵׁב *Iehova autem in perpetuum sedet*, tum demum recte intelliguntur, si animadvertitur, poëtam iustitiam Iehovae, quam in praecedentibus colis Iehovam antehac in liberando populo ab hostibus praestitisse dixerat, nunc ut perpetuam celebrare velle. Ideo, quum colo 5^{to} dixisset *in Perfecto*, יָשַׁבְתָּ לְכִסֵּא שׁוֹפֵט צֶדֶק *consedisti in solium ut iudex iustus*, id nunc *in Imperfecto* enuntiat additque לְעוֹלָם *in perpetuum*.

Ad colon 14^{um}. Offendit hîc חָנְנֵנִי pro חָנֵּנִי, ut ubique alibi exaratum est. In aliis exemplaribus scriptum est חַנְנֵנִי, quod non, ut Ewald statuit, a חָנַן ex formâ Kal, sed a חַנֵּן ex formâ Pi''el est: nam a חָנַן non existeret חַנְנֵנִי, sed חֲנָנֵנִי, collatâ Gramm. Hebr. § 183. Et, quod dixit Ewald, in חַנְנֵנִי ab חָנַן faciliùs, quàm in חָנְנֵנִי, explicitu esse, cur duae litterae נ non coaluerint in unam duplicem, id omni ratione caret: nam non magis in פִּקְדוּ et aliis similibus flexibus a פִּקֵּד, quàm in פָּקְדוּ a פָּקַד, tertia littera sine Dagesch leni scribitur et proinde antecedens Scheva non plane mutum est; haec autem sola, cur duae similes litterae non coalescant in unam, causa esse potest. Iam verò, quia Imperativus formae Kal cum pronomine נִי ubique alibi חָנֵּנִי scribitur, primâ

specie videatur, rectiùs hîc חַנְּנֵנִי scribi in formâ Pi''el. Attamen animadverti debet, formam Pi''el huius verbi in unico, in quo legitur loco, Prov. 26: 25, alium et huic loco non convenientem habere sensum: nisi forte etiam לְחֶנְנָהּ ps. 102: 14, ut veteribus grammaticis visum est, Infinitivus formae Pi''el sit pro לְחַנְּנָהּ, ut אֲכֶלְךָ pro אֲכַלֶּךָ, secundùm Gramm. Hebr. § 65; sed illud etiam Infinitivus formae Kal esse potest cum Segol ob litteram gutturalem pro Chirek a חֲנַן, quamquam confitendum est, sic, cur duae litterae non coaluerint in unam, nullam apparere causam, siquidem ab Infinitivo פְּקֹד inclinaretur פִּקְדָה cum Dagesch leni in tertiâ litterâ et plane muto sub antecedenti litterâ Schevate. Quidquid huius sit, ei, quod vulgò legitur, חָנְנֵנִי, certe plane simile est שָׁדְדוּ *vastate,* Ier. 49: 28; ex quo hoc saltem apparet, illud Masorethamarum rationi non esse contrarium. Atqui dubitari potest, num probanda sit haec Masorethamarum ratio. Pronum est statuere, pronuntiandum esse in formâ Pô'el חֹנְנֵנִי, itemque שֹׁדְדוּ; quin etiam ps. 102: 14 לְחֹנְנָהּ, praesertim quum etiam sequenti colo eadem forma usurpata sit. Quid autem, si ipsi Masorethae חָנְנֵנִי et שָׁדְדוּ scribentes non aliam, quam ipsam illam formam Pô'el, denotare voluisse censendi sint? Hoc ut suspicer, aliquot, quae me adducunt, indicia sunt, quaeque non aliter explicari posse videntur, quàm ita, ut statuatur, Masorethas opinatos esse, pro Chôlem in formâ Pô'el, si sequens littera vocali careat, etiam breve *o* (Kamets Chatuph) efferri et scribi posse. Sic, quod ps. 101: 5 legitur, מלושני pronuntiare iusserunt מְלָשְׁנִי (sic sine Mètheg, ergo *melòschnî*, vel potiùs *melòsch'nî*), ו abundare dicentes: nam quid, obsecro, מְלָשְׁנִי aliud esse potest, quàm quod foret מְלֹשְׁנִי, Participium formae Pô'el cum poëticâ statûs constructi

terminatione? Hoc autem modo scribentes eos significare voluisse puto, vocalem *o* proferri debere ut in Gallico *côte*, non sicut in *chose:* et quo tandem alio pacto potuerunt hoc per suas vocalium notas significare? Pariter in יְשָׁדְדֵם, ut vulgò legitur Jer. 5: 6, non, ut antè statui in annot. 2dâ ad § 188 Grammaticae Hebraeae, Masorethae ita vocales adscripsisse censendi sunt, ut sonaret, quasi scriptum esset יְשָׁדֵּם: hoc enim si voluissent, in secundo ד scribere debuissent Dagesch lene. Imo, formam Pô'el esse, eos existimasse puta, sed ita scripsisse, ut *o* sonaret non clare, sed obscure, sono medio inter *o* et *a: ieschòd'dém.* In aliis exemplaribus ibi legitur יְשָׁדְּדֵם. Quod cave existimes ita scriptum esse ab iis, qui formam Pu''al esse censerent: de passivâ enim formâ Pu''al nemo hîc cogitare potuit: sed Dagesch in priore ד scriptum idem significat, atque omissio lenis Dagesch in posteriore, Scheva non plane mutum esse, nec prorsùs *ieschod-dém* efferri debere; quemadmodum nostrates pro *godlijk* scribere solent *goddelijk*, quoniam non prorsus *godlijk*, sed *god'lijk* pronuntiatur. Conf. Gramm. Hebr. § 75. In aliis denique libris ab iis, qui Dagesch istius et omnino formae rationem non intelligebant, scriptum est יְשַׁדְּדֵם. Idem iudicandum esse videtur de תְּרָצְחוּ ps. 62: 4, ut hoc, sicut תְּהוֹתְתוּ, quod antecedit, Pô'el esse censuerint Masorethae. Etiam hîc in aliis exemplaribus, ut Scheva sub צ non plane mutum esse significaretur, תְּרָצְּחוּ scriptum est; in aliis denique, quum formae ratio non intelligeretur, תְּרַצְּחוּ vel תְּרַצְחוּ. Tum etiam, si mea de Masorethicâ earum, quas attuli, vocum pronuntiandarum et scribendarum ratione probanda esse videatur sententia, vix dubitari poterit, quin etiam יְחָבְרְךָ ps. 94: 20, prout a Masorethis editum est, non Pu''al pro

יְחַבְּרְךָ, sed Pô'el esse censendum sit [a]. — Si quis autem quaerat, cur igitur non semper, si secunda verbi littera Scheva haberet, ita cum Kamets Chatuph formam Pô'el scripserint Masorethae; respondeo, eodem iure quaeri posse, cur non semper, quod aliquando fecerunt, et quomodo יְשָׁדְּדֵם et תְּרָצְּחוּ in aliquot libris exaratum esse modò vidimus, Dagesch inscripserint litterae Scheva habenti, quam antecedat brevis vocalis, quo significaretur, Scheva illud non plane mutum esse. In his et similibus aliis cernimus Masoretharum pronuntiationem etiam accuratiùs, ut quàm perfectissime eam scriptura repraesentaret, designandi conamina, a quibus tamen destiterunt, quum animadverterent, sic ambiguitatem exsistere formarum, et pro luce et claritate obscuritatem confusionemque oriri.

Ad colon 17[um]: נוֹדַע יְהוָה מִשְׁפָּט עָשָׂה בְּפֹעַל כַּפָּיו נוֹקֵשׁ רָשָׁע. Masorethae נוֹקֵשׁ pronuntiantes hoc procul dubio pro Participio habuerunt verbi נָקַשׁ, et huic verbo *impingendi ad offendiculum*, atque ita *corruendi*, tribuerunt notionem. Pariter Aquila, qui Masorethicam interpretationem quàm accuratissime exprimere solet, pronuntiavit intellexitque. Reddidit enim, quemadmodum in margine Syriacae translationis Hexaplaris Graeca eius verba Syriace conversa leguntur: ܢܬܩܠ ܪܫܝܥܐ *impingit*, vel *impinget*, *improbus*, certe in Imperfecto, ut appareat, eum non pronuntiasse נוֹקַשׁ, ut Perfectum formae Niph'al verbi יָקַשׁ. Chaldaïcae interpretationis

---

[a] In מְלָוֹשְׁנִי, תְּרָצְּחוּ et יְחָבְרְךָ, ut, quum illa iam scripsissem, vidi, formam Pô'el iam agnovit R. Stier (*Lehrgebäude der hebr. Sprache*, S. 351), quamquam Masoretharum, cur ita scripserint, rationem non recte intellexit explicuitque. Idem etiam יְתָאֳרֵהוּ Ies. 44: 13 Pô'el esse, et Masorethas ita scribentes nomen תֹּאַר spectasse, non sine ratione iudicasse videtur.

auctor utrùm נֹקֵשׁ, an נוֹקֵשׁ pronuntiaverit, pro certo dici nequit. Vertit quidem in Perfecto אִתְּקֵל *impegit*: nam modos verbi et omnino formas grammaticas non exacte reddere studuit iste interpres; ex eo autem, quòd *impingendi* significationem verbo tribuit, non posse confici, eum נוקש a נָקַשׁ inclinatum esse censuisse ac proinde in Participio pronuntiasse, recte observavit Böttcher (*Proben alttestamentlicher Schrifterklärung*, S. 6 und 7), eundem interpretem alibi eandem notionem verbo יָקַשׁ tribuisse monens. Dubia quoque est Hieronymi interpretatio *corruit impius*, quia *corruit* tam Praeteritum perfectum, quàm Praesens esse potest. At hoc tamen e consensu horum trium interpretum certissime constat, secundùm eam interpretationem, quae inter veteres Iudaeos traditione ferebatur, quamque etiam Masorethae illi, qui vocalium notas adscripserunt, censendi sunt esse sequuti, verbo נוקש hîc *impingendi* vel *corruendi* notionem subiectam fuisse, ideoque non posse probari Böttcheri opinionem statuentis, Masorethas, נוֹקֵשׁ ut Participium formae Kal pronuntiantes, verba in hunc censum accepisse: *in opere manuum suarum illaqueat* (Iehova) *improbum*. Iam verò, quum nunc quidem constet, verbum נָקַשׁ non habere *impingendi corruendi*que significationem, atque adeo necessariò relinquenda sit Masorethica interpretatio, etiam pronuntiatio vocis Masorethica absque ullâ temeritate relinquitur. Unice probanda est eorum sententia, qui Perfectum hîc requiri et נֹקַשׁ pronuntiandum esse iudicarunt; et prorsùs spernenda eorum opinio, qui Perfectum quidem hîc requiri, sed ipsum illud נוֹקֵשׁ, ut a Masorethis editum est, Perfectum formae Niph'al esse, non magis contra grammaticam, quàm contra ipsorum Masorethayum sententiam, sta-

tuerunt. In Perfecto autem verba in hoc et praecedente colo enuntiata sunt, quia his colis verba continentur, quibus populus se Iehovam laudare et exsultare velle dicit, ubi Iehova eum e malis, quae ab inimicis suis patitur, liberaverit. — Ceterùm ex eo, quòd Masorethae נוקש perperam ut Participium pronuntiarunt, factum est, ut etiam in priore hemistichio pro נוֹדַע in multis exemplaribus נוֹדָע ut Participium scriptum sit.

AD PSALMUM DECIMUM.

Ad colon 2um. — Inde ab hoc colo ad 11um aliquot versûs leguntur, qui non eodem modo, ac reliquae fere huius carminis partes, dispositi sunt. Est enim huius carminis (quod perperam in duos psalmos, nonum et decimum, divisum esse apparet) haec universa dispositio, ut bina disticha in parvas quasdam coniuncta sint strophas, quarum singularum primae litterae ordinem consequerentur litterarum Hebraicarum. Quâ de re recte Ewald iudicasse videtur, poëtam, quin potiùs compositorem carminis dicas, hanc artificiosam suam versuum dispositionem non absolvisse. Et haec probabilis quoque causa est, cur ps. 9: 8—11 duo habeantur disticha ambo a litterâ ו incipientia, quum duo ibi desiderentur, unum, quod a ד, alterum, quod ab ה incipiat; itemque cur ps. 9: 20 distichon a litterâ ק, a verbis קוּמָה יְהוָֹה, incipiat, quum incipere debuisset a כ: nam compositorem carminis litteras ק et כ, ut sono finitimas, inter se confudisse vel commutasse, haud simile veri esse videtur, praesertim quum ab iisdem illis verbis קוּמָה יְהוָֹה etiam suo loco (ps. 10: 12) incipiat distichon, quod debet ex ordine primam habere litteram ק. Materiem autem, quae ad pro-

positum suum fere sufficeret, compositor carminis e diversis carminibus collegisse videtur. Itaque factum est, ut hîc a colo 2^do^ ad 11^um^ integram habeamus ab illius arte intactam carminis antiquioris partem. In cuius tamen interpretatione nondum omnes expeditae sunt difficultates. In colo 2^do^ sic legimus: בְּגַאֲוַת רָשָׁע יִדְלַק עָנִי יִתָּפְשׂוּ בִּמְזִמּוֹת זוּ חָשָׁבוּ; quod vulgò interpretantur in hunc sensum: *In superbiâ improbi* (Quando superbit improbus,) *ardet* (angitur) *afflictus; capientur* (afflicti) *machinationibus*, *quas meditati sunt* (improbi). Atqui hanc prioris membri interpretationem nemo existimabit a simplicitate commendari; et posterioris non eum esse posse, quem vulgò ei tribuunt, sensum, evidentissime demonstrat comparatio verborum, quae ps. 9: 16 leguntur: בְּרֶשֶׁת־זוּ טָמָנוּ נִלְכְּדָה רַגְלָם *in illo ipso reti*, *quod occultaverant*, *captus est eorum pes.* Pronomen זוּ in tali constructione non simpliciter relativi fungitur vice, sed propriam suam vim demonstrativam conservat (vid. Gramm. Hebr. § 518). Itaque sensus posterioris hemistichii non alius esse potest, quàm hic: *capientur* (improbi) *iis ipsis*, *quas meditati sunt*, *machinationibus.* Et prioris hemistichii verba, quum perperam interpretarentur, Masorethas perperam pronuntiasse arbitror, sed hoc efferri debere modo: בְּגֵאוּת רָשָׁע יִדְלֹק עָנִי *insolenter improbus insectatur afflictum.* בְּגֵאוּת *superbiâ*, *insolentiâ*, eodem modo ut adverbium cum verbo constructum est ps. 17: 10: דִּבְּרוּ בְגֵאוּת *loquuntur insolenter.* Verbum autem דָּלַק, si activum et transitivum, quem alibi quoque habet, *insectandi* vel *persequendi* sensum ei tribuimus, etiam ut activum verbum pronuntiare oportet, quemadmodum Masorethae quoque fecerunt, Thr. 4: 19 דְּלָקֻנוּ, non דִּלְּקֻנוּ, legentes. Illum, quem diximus, huius coli sensum esse debere, iam perspexerunt

nonnulli ex antiquioribus interpretibus, non videntes tamen, ut ille sensus esse possit, cum Masorethicâ interpretatione etiam pronuntiationem Masorethicam esse mutandam. Sic Castellio interpretatus est: *Impii superbe insectantur inopes, suis ipsi conatibus capiendi.* Ceterùm breviter hoc colo enuntiatur argumentum eorum, quae sequentibus colis uberiùs explicantur. Itaque sequens colon incipit ab explicandi particulâ כִּי.

Ad colon 4—6: רָשָׁע כְּגֹבַהּ אַפּוֹ בַּל־יִדְרֹשׁ אֵין אֱלֹהִים כָּל־מְזִמּוֹתָיו׃ יָחִילוּ דְרָכָו בְּכָל־עֵת מָרוֹם מִשְׁפָּטֶיךָ מִנֶּגְדּוֹ כָּל־צוֹרְרָיו יָפִיחַ בָּהֶם׃ אָמַר בְּלִבּוֹ בַּל־אֶמּוֹט לְדֹר וָדֹר אֲשֶׁר לֹא בְרָע׃

Colon 4^{tum} nunc plerique in hunc modum interpretantur: *Improbus, quâ est superbiâ, »Non vindicat; non est Deus!" omnes cogitationes eius sunt;* id est, *Improbus, quâ est superbiâ, hoc unum cogitat: Non vindicat; non est Deus!* Talis autem sententiae constructio ab Hebraïco stylo prorsus abhorrere videtur: et certe magis probanda eorum ratio est, qui solum אֵין אֱלֹהִים cum כָּל־מְזִמּוֹתָיו construendum esse censent, sed בַּל־יִדְרֹשׁ, ut a Masorethis quoque factum est, cum antecedentibus iungendum, et mente supplendum אָמַר, id est *dicit*, seu *cogitat.* Atqui etiam horum interpretatio ideo non potest admitti, quòd מְזִמּוֹת non significat *cogitationes*, nec verbum זָמַם simpliciter *cogitare*, sed aliquid *sibi proponere*, *meditari* vel *machinari*, unde מְזִמָּה *quod aliquis meditatur* vel *machinatur*, denotat. Et alio sensu certe in hoc loco non licet accipere, siquidem paullò ante in colo 2do illo consueto sensu a poëtâ usurpatum est. — Etiam sequentis coli interpretatio magnas difficultates habet. Omnes autem expediuntur, si כָּל־מְזִמּוֹתָיו cum illo sequenti colo construimus, ut reliquorum hic sensus sit: *Improbus, quâ est superbiâ* (dicit, sive cogitat): *Non vindicat, non est Deus!*

Tunc verò in colo 5[to] non opus erit pro דַּרְכּוֹ, quasi דרכיו scriptum esset, cum Masorethis, perperam verba construentibus, דְּרָכָו pronuntiare; sed colon ita in quatuor membra distribuendum est, ut sensus sit: *Omnia proposita eius obstinata sunt; agendi ratio eius semper superba est: iudicia tua non habet ob oculos; quicunque adversantur ei, sufflat in eos.* Ampliore interpretatione, credo, non opus est. Tantummodo moneo, יָחִילוּ (*firma sunt*) hîc feminine usurpari, quemadmodum alibi quoque 3[tia] pers. plur. feminina a masculinâ non differt (vid. Gramm. Hebr. § 151, 2° et 181); et *sufflare in aliquem* esse signum contemtûs, quo superbi et insolentes homines, si quis iis adversari conatur, se vana illa conamina flocci facere significant, *phy!* dicentes.

In colo 6[to] posterius hemistichium, לְדֹר וָדֹר אֲשֶׁר לֹא בְרָע, Latine converti potest: *in sempiternum absque malo erit res.* Enuntiatio relativa subiecti vice fungitur (vid. Gramm. Hebr. § 528). Reticetur autem in hac relativâ enuntiatione praeter Participium verbi substantivi subiectum, quia infinitum est, id quod vernacula et Germanica lingua infinito pronomine *het*, *es*, designat (ibidem § 557). לֹא בְרָע igitur proprie significat: *non in malo est;* vel potiùs, quae praepositionis ב vera notio est: *non ita est, ut adiunctum sit malum;* id est: *absque malo est.* Praemittitur autem enuntiationi relativae particula אֲשֶׁר, quoniam *rei* notio ei subiicitur (ib. § 506). Ergo אֲשֶׁר לֹא בְרָע proprie significat: *quod absque malo est;* et hoc vice nominis tanquam subiectum cum לְדֹר וָדֹר tanquam attributo construitur, dum reticetur inusitatum verbi substantivi Participium. Atqui pro *in sempiternum est, quod absque malo est,* Latine potiùs dicimus: *in sempiternum absque malo* (integra et incolumis) *res est.*

Ad colon 10^{um}: יִדְכֶּה יָשֹׁחַ וְנָפַל בַּעֲצוּמָיו חֵלְכָּאִים. — Recte Masorethae pro ודכה legendum censuerunt ידכה. Per se quidem nihil vetat legere וְדָכָה: verùm tunc etiam pro sequenti יָשֹׁחַ necessariò legendum esset וְשָׁח; utrumque autem verbum sine coniunctione in Imperfecto iam legit, qui antiquissimus noster hac in re testis est, Graecus interpres Alexandrinus. — Atqui verbum דָּכָה aptum hîc non praebet sensum. Nam, quae ei tribuitur *se contrahendi*, ut delitescat, sive *conquiniscendi* notio, ea prorsùs commenticia est, atque adeo aliena a *contundendi*, *conterendi* et *comminuendi* significatione, quae verbo דָּכָה et cognatis propria est, ut nullo modo admitti queat. Non dubito, quin mendum in verbo sit, et suspicor legendum esse יִדְרֶה. Verbum enim דָּרָה, دَرَا, in linguâ Arabicâ significat, ut transitivum, *decepit*, *circumvenit* feram; ut intransitivum, *latuit post aliquam rem* venator feram decepturus. Quâ significatione quae esse potest huic loco aptior et sequenti יָשֹׁחַ, *subsidit*, *incurvat se* seu *conquiniscit*, convenientior? Litterae autem ך et ר in antiquâ scripturâ facilè inter se commutari potuerunt. Vid. *Commentarii* mei *in aliquot Ieremiae loca* (Gron. 1824), p. 27. Verbum quidem דָּרָה alibi in Hebraïcis, quae supersunt, scriptis non offenditur: sed multa verba esse, quae semel tantùm in iis legantur, quis ignorat? et in tali iis ignoto verbo faciliùs ductuum litterarum similitudine in errorem induci potuerunt scribae librarii. — Vocabulum עצומים hîc, collato Arabico عِصَام, *vincula* seu *laqueos*, vernaculâ et Germanicâ linguâ *strikken*, Stricke significare, iam viderunt alii. Hac autem vocabuli significatione probatâ, non cum Masorethis בַּעֲצוּמָיו, sed בַּעֲצֹמָיו pronuntiandum est. — Sensus igitur coli est: *Delitescit in insidiis*, *conquiniscit*,

et incidunt in laqueos eius infelices. Nam חלכאים *infelices* significare, collatâ stirpe Arabicâ حلك, quae *atrum, infaustum* et *infelicem esse* denotat, non dubitari posse videtur; quamquam quibus vocalibus haec pluralis forma et singularis חלכה pronuntiandae sint, non aeque certum est. Hoc quidem manifestum est, Masorethas singularem formam, חֵלְכָה legentes, ita interpretatos esse, quasi ex nomine חֵיל et pronomine ךָ composita esset vox. Ideo enim in colo 14°, ut in pausâ, חֵלֶכָה scripserunt; et iam Aquila, ut in margine Syriacae translationis Hexaplaris annotatum est, in colo 8vo *opes tuas*, atque Hieronymus *robustos tuos*, in colo 14° *fortes tui*, interpretatus est. Tum חלכאים in duas voces dispescendum et חֵל כָּאִים pronuntiandum censuerunt, ut sensus esset *turma contritorum:* et Hieronymus, *valenter* transferens, quomodo vocem sibi explicuerit, non est quidem valde perspicuum, attamen etiam vocabulum חֵיל (*vires*) in mente habuisse videtur. Eadem Masorethica interpretatio caussa fuisse videtur, cur in nonnullis exemplaribus scriptum sit חילכה et חילכאים vel חיל כאים. Num eodem modo, ac Masorethae, qui vocalium notas adscripserunt, Chaldaïcae interpretationis auctor pronuntiaverit, dubium esse videtur: nam in 8vo colo *pauperes*, in 10mo *miserum*, sed in 14° *miseros tuos* reddidit, ut hîc quidem כה pro pronomine habuisse videatur; sed quomodo litteras חל sibi explicuerit, non liquet. Verùm e dictis hoc iam satis apparet, Masorethas ita vocem interpretatos esse, ut etiam modus, quo pronuntiarunt, apud nos, qui non dubitamus, quin a stirpe חָלַךְ derivata sit, nullam habere queat auctoritatem. Certissime falsò in colo 14° pronuntiarunt חֵלֶּכָה, et in 10mo, voce in duas divisâ, legerunt חֵל כָּאִים. Atqui ideo non aeque certum esse

videtur, etiam in 8vo colo perperam eos pronuntiasse חֵלְכָה. Namque hoc esse potest pro חֵילְכָה, et hoc pro חַיְלְכָה, ut forma nominis sit, qualis est Arabici ضَيْطَرَى similiumque, duplici modo ad augendam significationem producta: et Masorethica vocis interpretatio adeo inepta esse videtur, ut vix intelligatur, quomodo in eam incidere potuerint, nisi statuatur, eos quidem, vocem sic pronuntiandam esse, traditione habuisse acceptum, sed, quum originem et verum sensum ignorarent, eam sic sibi explicuisse, ut ex nomine חַיִל et pronomine ךָ compositam esse statuerent. Quam coniecturam comprobare videtur Chaldaïca interpretatio. Huius enim auctor traditione quidem accepisse videtur, vocem *miserum* seu *pauperem* denotare et חֵלְכָה sonare, sed non perspexisse formam vocis grammaticam, adeo ut veri non prorsùs dissimile esse opinaretur, ultimam syllabam כה pronomen esse, et secundum hanc opinionem in colo 14°, quum ibi certe aptus pronomini locus esset, *miseros tuos* interpretatus sit. Animadverti quoque debet, etiam in sermone Arabicâ nomina a stirpe حلك derivata productam ad augendam significationem habere formam: حُلْكُوك, حَلَكُوك, حُلَكْلِك, مُحْلَنْكِك. Et primâ quidem specie, fateor, linguae Hebraïcae analogiae convenientius esse videatur statuere, hoc masculinum vocabulum non in הָ, sed in הֶ exiisse: verùm, dum statuimus, ultimam vocabuli vocalem, quae litterâ ה designatur, non esse terminationem denominativam, sicut in אִשָּׁה ab אִשׁ, sed, ut ita dicam, radicale augmentum, sicut in Arabico ضَيْطَرَى similibusque; quidni haec vocalis in Hebraeâ linguâ, sicut in Arabicâ, *ā* sonare potuit? et reverâ sic eam sonuisse, pluralis forma חלכאים videtur arguere. Nam omnia nomina Hebraïca, quae in הֶ desinunt,

hanc vocalem in plurali amittunt: pluralis forma a חלֶכָה foret חלכִים: sed a חֲלְכָה additâ terminatione plurali fit חֲלְכָאִים.

Ad colon 14 et 15m. — רָאִתָה כִּי־אַתָּה עָמָל וָכַעַס תַּבִּיט לָתֵת בְּיָדֶךָ. Ita Masorethae ediderunt priorem coli 14i partem, tanquam unum longum continuum membrum: altera duobus membris brevioribus, sed aequabilibus et inter se parallelis, constat. Atqui, quum hoc colon a litterâ Rêsch, sequens autem a Kôph incipiat, apparet, hîc non tria, sed perinde, ac in reliquis ad ordinem litterarum dispositis carminis partibus, quatuor esse oportere membra, vel potiùs duo e binis parallelis hemistichiis composita disticha sive cola. Duo, quae sequuntur, cola iustum tale distichon sive colon constituunt: et prior huius, quemadmodum a Masorethis editum est, coli pars tam enormis longitudinis est, ut dubitari nequeat, quin in duo, alterum distichon sive colon constituentia, membra sive hemistichia dividi debeat. Hoc fieri quidem non potest, ut a Masorethis editum est: sed unam vocem, אתה, perperam pronuntiarunt. Legere debuissent et membra dividere hoc modo: רָאִתָה כִּי־אִתּוֹ עָמָל וָכַעַס תַּבִּיט לָתֵת בְּיָדֶךָ. Pro אַתָּה pronuntiare debuissent אִתּוֹ, *apud* seu *penes eum*, quemadmodum in colo 9o, sed fortasse, ut observavit Ewald, minùs recte, בְּסֻכֹּה pronuntiarunt, et saepe pronomen 3tiae pers. sing. masc. inseparabile litterâ ה offenditur scriptum. Transferendum est: *Vidisti penes eum molestiam et aegritudinem esse; intueris, ut detur in manum tuam.* Sed verbis opus est explicatione: nam sic in Latinam linguam conversa, ex huius linguae consuetudine non intelliguntur. In antecedentibus dictum erat, improbum cum animo suo dicere, non videre nec animadvertere numen, quae committat; et Iehovam ad vindictam excitans rogaverat poëta, cur sper-

nat improbus Deum, dicens cum animo suo: לֹא תִּדְרֹשׁ *Non expetes;* id est, non exiges seu repetes poenam, non ulcisceris. Iamque dicit: *Vidisti, penes eum molestiam et aegritudinem esse.* עָמָל וָכַעַס hîc, ut alibi עָמָל, *molestiam et aegritudinem* designat, *quâ aliquis alterum afficit*, sive *iniuriam, quam aliquis — non ab altero patitur, sed — alteri facit;* eaque *penes* illum, qui alteri eam facit, esse dicitur, quatenus eius auctor seu causa, actionis iniustae subiectum est. Significatur igitur molestiae et aegritudinis, quâ alios afficit improbus, *culpa;* quemadmodum notum est, nominibus, quae *delictum* vel *flagitium* significant, etiam *culpam delicti* vel *flagitii* in sermone Hebraïco denotari; et sensus verborum est: Animadvertisti penes improbum molestiae et aegritudinis, quâ inopes afficit, culpam. Addit poëta: *intueris, ut detur in manum tuam.* Quibus verbis significat, velle quoque Deum iniuriarum ab illo capere poenas. Nam, quod non minùs notum est, iisdem nominibus, quae *delictum* vel *flagitium* significant, etiam *poena* delicti vel flagitii in sermone Hebraïco denotatur. Videlicet *poena*, ut *talio* sive aequa retributio, *delicto* seu *flagitio* aequalis et par censetur. Sic, quod in colo sequenti legimus, תִּדְרוֹשׁ רִשְׁעוֹ, proprie quidem significat *quaeres improbitatem eius*, sed hoc in eum sensum dictum est; ut denotet: *quaeres improbitatem eius, ut eius capias poenam.* Et Gen. 9: 5 ita scriptum legimus: אֶת־דִּמְכֶם לְנַפְשֹׁתֵיכֶם אֶדְרֹשׁ מִיַּד כָּל־חַיָּה אֶדְרְשֶׁנּוּ וּמִיַּד הָאָדָם מִיַּד אִישׁ אָחִיו אֶדְרֹשׁ אֶת־נֶפֶשׁ הָאָדָם. *Vestrûm ipsorum sanguinem expetam: e manu omnis animalis expetam eum; et e manu hominum, e manu uniuscuiusque alterius, expetam animam hominum. Sanguine* et *animâ* hominum hîc sanguinis hominum effusi animaeque

ereptae *poenam* denotari, probat constructio verbi דָּרַשׁ cum מִיַּד *e manu*, adeo ut non tantùm *e manu hominum*, sed etiam *e manu omnis animalis* dictum sit. Eodem modo verbum constructum est Ezech. 33: 6 et 34: 10. *Danda* igitur, reddenda, solvenda, pendenda, proprie significatur poena, ut debita retributio. Et quis iam non intelligit illud לָתֵת בְּיָדֶךָ *ut detur in manum tuam*, in quo interpretando frustra laborarunt interpretes? Sensus est: Intueris, quam penes eum animadvertisti, iniuriam, ut detur poena eius in manum tuam; id est, ut poenam eius obtineas.

Quod autem dixi, debuisse Masorethas pro אַתָּה pronuntiare אַתֹּה, hoc ideo dixi, quod, quoties ita litterâ ה masculinum tertiae pers. sing. pronomen scriptum est, illi eodem modo pronuntiare solent, acsi scriptum sit ו. At probabile esse, tunc non הֹ, sed הֶ enuntiari debere, in Grammaticâ Hebraeâ dixi § 302 in annotatione primâ.

Coli 15[ti] membra recte sic in duobus exemplaribus manuscriptis distincta invenit J. H. Michaëlis, ut וָרָע, non verò רָשָׁע, cum Athnach scribatur.

Ad colon 17 et 18[m]. Membra horum duorum colorum ita distribuenda esse arbitror:

תַּאֲוַת עֲנָוִים שָׁמַעְתָּ יְהוָה תָּכִין לִבָּם׃
תַּקְשִׁיב אָזְנֶךָ לִשְׁפֹּט יָתוֹם וָדָךְ
בַּל־יוֹסִיף עוֹד לַעֲרֹץ אֱנוֹשׁ מִן־הָאָרֶץ׃

Ita, si aequabilem longitudinem spectas, tribus constat haec ultima stropha a litterâ ת incipiens membris parallelis: at primum duas parallelas complectitur enuntiationes, quarum tamen posterior nimis brevis est, quàm ut sola justum constituat hemistichium.

AD PSALMUM UNDECIMUM.

Ad colon 3um: כִּי הַשָּׁתוֹת יֵהָרֵסוּן צַדִּיק מַה־פָּעָל. Vocabulum שָׁתוֹת hîc et Ies. 19: 10, ubi etiam legitur, *fundamenta* interpretantur, *civitatis fundamenta* intelligi, atque adeo *proceres* et principes in civitate viros significari dicentes. Neutri loco ea significatio valde apta esse videtur; et quo tandem pacto a verbo שׁוּת *ponere*, *collocare*, nomen שָׁת vel שָׁתָה, quod Participii subiectivi (activi) formam habet, *fundamenti* sensum obtinere potuit? Ita certe obiectivam (passivam) habere debuisset formam. Atqui in loco Iesaiae recte iam Cocceius aliique *stamina* interpretati sunt. Comparatis Hebraeo et Aramaeo שְׁתִי Arabicisque سَتًّا et سَتَاةٌ, quae idem significant, et consideratâ coli 10mi cum antecedenti 9o cohaerentiâ, de illâ in eo loco significatione non posse dubitari videtur. Ibi enim dicuntur *opifices lini* et *textores byssi in Aegypto* pudefactum iri: quàm apte igitur consequitur: וְהָיוּ שָׁתֹתֶיהָ מְדֻכָּאִים כָּל־עֹשֵׂי שֶׂכֶר אַגְמֵי־נָפֶשׁ *eruntque stamina eius* (Aegypti) *comminuta*, *omnes mercenarii* (qui apud textores mercede operantur) *tristes animo*. Neque etiam in hoc psalmi loco aptior esse potest vocabulo significatio. Converti debet: *Atqui verò stamina illa destruentur: iustus quid fecit*? *Stamina* hîc translato sensu dicuntur pro *inceptis*, *conaminibus*, *consiliis*, sive *iis*, *quae aliquis struit et molitur;* quemadmodum a quartâ formâ verbi Arabici سَدَى, quod aeque ac أَسْتَى a سَتَا telae *stamina instruere* significat, proverbii loco dictum est أَلْحِمْ مَا أَسْدَيْتَ, cuius sensus est: *perfice quod incepisti;* proprie linguâ vernaculâ: *weef af wat gij op touw gezet hebt.* Etiam in Hebraeo sermone הַשָּׁתוֹת יֵהָרֵסוּן proverbii loco dictum fuisse puto, et, quomodo

in colo primo amici poëtam, ut inimicorum insidias effugeret, adhibito proverbio hortati fuissent, sic eodem modo hîc iis alio proverbio respondere poëtam, ut significet, se nihil timere; irritos enim fore inimicorum conatûs; iustum, qui nihil fecit, quo commeruerit malum, posse esse securum, siquidem, ut addit, iustus omnia règat deus. Particula כִּי hîc in oppositione *atqui verò* valet: vid. annot. ad Ies. 7: 16 in primo horum Orientalium volumine p. 136 sq. — שָׁתוֹת quum ét hîc ét in Iesaiae loco ut masculinum constructum sit, usitatam singularem formam שֶׁתֶה fuisse apparet, sed pluralem formam ab obsoletâ singulari שָׁתָה derivatam esse, perinde ut חָזֶה, *pectus*, in plurali habet חָזוֹת. Utraque forma apud Arabes in usu mansit: שֶׁתֶה est Arabicum شَتًى, obsoletum in singulari Hebraïcum שָׁתָה Arabicum شَتَاةٌ est. Quodque in שָֽׁתֹתֶיהָ Kamets in tertiâ a summo tono syllabâ non in Scheva mutatum est, id haudquaquam vocabulum a stirpe שות derivatum esse demonstrat: nam eodem modo מָנוֹתֶהָ scriptum legimus Esth. 2: 9, quamvis a מָנָה est.

Ad colon 5um. Verba יְהוָה צַדִּיק יִבְחָן vulgò iuxta accentûs Masorethicos sic accipiunt, ut sensus sit: *Iehova iustum explorat.* Quum verò in alterâ coli parte sequatur, וְרָשָׁע וְאֹהֵב חָמָס שָׂנְאָה נַפְשׁוֹ *improbum autem eumque, qui amat iniuriam, odit anima eius*, atque adeo, si ita, ut vulgò fit, primum membrum transfertur, *iustus* et *improbus isque, qui amat iniuriam*, sibi invicem oppositi sint; consequens esse videtur, ut etiam יִבְחָן et שָׂנְאָה נַפְשׁוֹ consimili modo opposita esse, atque adeo *explorat* hîc *probat*, *approbat*, *diligit*, *amat*, valere statuatur. At enim verbum בָּחַן hoc sensu inusitatum est, et in hoc loco eum sensum verbo subiicere vel ideo non licet, quòd etiam modò, in ultimo praecedentis

coli membro, vulgari *explorandi* sensu a poëtâ usurpatum est. Quodsi igitur verbo non aliam, quàm *explorandi*, significationem tribuere licet, profectò non apparet, cur iustum *explorare*, improbum autem *odisse*, poëta dicat Iehovam. Idcirco alii cum Graeco interprete Alexandrino וְרָשָׁע priori membro adiungendum esse arbitrantur. Atqui constructio verborum, qualis haec esset, *Iehova iustum explorat et improbum*, non tantùm Latinae magis, quàm Hebraïcae linguae consuetudini conveniret, sed etiam significationem haberet huic loco haud congruam: significaret enim ea enuntiationis constructio, *iustum non minùs quàm* (sive *aeque ac*) *improbum* a Iehovâ explorari. Nisi mendum in verbis sit, sententiae articulos sic distinguendos esse iudico, ut sensus sit: *Iehova iustus est, explorat: improbum autem eumque, qui amat iniuriam, odit anima eius.* Sic etiam numerosiùs, si quid sentio, conformata erit sententia. Nam ita duobus quidem constabit membris haud aequalibus longitudine, sed ita, ut ambo in duos articulos divisa sint, quorum prior in priore membro duabus, in posteriori tribus, posterior in priore unâ, in posteriore duabus vocibus constet, et per hanc aequabilem distributionem inaequalia membra reddantur aequalia. Sed fortasse pro יִבְחָן legendum est יִבְחַר, ut prioris membri hic sensus sit: *Iehova iustum diligit.* Verba בָּחַר et שָׂנֵא, ut contraria, eodem modo in parallelis membris usurpata sunt Prov. 1: 29. Litterarum autem נ et ר inter se permutatio non sine excmplo est: vid. Muntinghii Critice vetcris Foederis p. 97.

AD PSALMUM DUODECIMUM.

Ad colon 5^{tum}. — Verba לִלְשֹׁנֵנוּ נַגְבִּיר ut recte intelligantur,

animadverti debet, verba in formâ Hiph'îl saepe ita cum nomine vel pronomine ope praepositionis לְ construi, ut idem fere sensus sit, ac si cum obiectivo complemento construerentur. Vid. Ewald's krit. Gramm. d. hebr. Sprache, S. 594. Sic הוֹשִׁיעָה לִּי idem fere valet atque הוֹשִׁיעֵנִי, *adiuva me;* at proprie tamen significat *procura mihi* יֵשַׁע, seu *fac ut obtineam* יֵשַׁע *(auxilium)*. Similiter hîc לִלְשֹׁנֵנוּ נַגְבִּיר proprie valet: *linguae nostrae procurabimus* גְּבוּרָה, seu *faciemus ut lingua nostra obtineat* גְּבוּרָה *(potentiam, praevalentiam); id est linguam nostram praevalere* seu *dominari faciemus.*

Ad colon 6tum: אָשִׁית בְּיֵשַׁע יָפִיחַ לוֹ. Eadem hîc habetur formae Hiph'îl cum praepositione לְ constructio, de quâ modò diximus. יָפִיחַ לוֹ proprie significat *faciet ut aurae spiritus ei sit*, sive *faciet ut spiret ei*, id est *respirationem ei creabit.* Impersonaliter autem dictum est infinito enuntiationis subiecto, ut vernaculâ linguâ transferendum sit: *het zal hem lucht geven, het zal hem verademing schenken;* Latine obiectivâ verbi formâ: *respiratio ei creabitur.* Iam haec enuntiatio vice complementi adverbialis construitur cum antecedenti אָשִׁית בְּיֵשַׁע, quae proprie significat *collocabo* (eum) *in amplo et spatioso*, hoc est *liberabo ex angustiâ.* Itaque verborum sensus est: *liberabo ex angustiâ, ita ut creetur ei respiratio.*

Ad colon 7um: *Effata Iehovae effata pura sunt*, כֶּסֶף צָרוּף בַּעֲלִיל לָאָרֶץ מְזֻקָּק שִׁבְעָתָיִם. Vocabulum עֲלִיל, quod alibi non legitur, vel *catinum*, in quo liquantur metalla, vel *officinam* interpretari solent. Prior significatio huic loco utique aptissima est, sed quo iure Hebraïco illi vocabulo ea significatio tribuatur, non liquet. Ego non dubito, quin conferendum sit Arabicum غَلَّ, quod idem ac مِصْفَاةٌ denotare Djauha-

rius testatur; hoc autem *instrumentum*, *quo aliquid defaecatur*, *colum* significat. *Coli* ope veteres Hebraeos a scoriis purgasse metalla, non dubitare sinit sequens מְזֻקָּק, quod *colatum* significat: et verbum זָקַק, *colare*, de liquandis et purgandis metallis saepiùs usurpatum offenditur. — In sequente voce לָאָרֶץ probabili modo in hoc loco explicandâ mirum quantopere laborarunt interpretes. Omnium, quae usque hodie excogitatae sunt, interpretationum nullam suâ commendari probabilitate, longum ac taediosum foret demonstrare: sed hoc illos tot interpretum conatûs iam satis demonstrasse existimo, probabilem interpretationem in hoc loco non admittere vocem. Probabilius esse videtur mendum in voce esse. Suspicor in eâ latere vocabulum חָרוּץ, quod poëticum *auri* nomen est; et fortasse וְחָרֻץ, vel potiùs כְּחָרֻץ legendum est, ut duo paralleli articuli sint sic vertendi: *argentum liquatum colo, instar auri colati septuplum.* Nam ideo, quod in priori articulo comparandi particulam non expressit poëta, nequaquam opus erat, ut in altero quoque eam omitteret. Ut intelligatur, quomodo mendum oriri potuerit, statuendum esse puto, priorem vocis partem aut pessime scriptam fuisse, ut difficillima lectu esset, aut paene obliteratam, ut coniecturâ restitui deberet: et causa, cur perperam aut legeretur, aut restitueretur, esse potuit tum haec, quod vocabulum חרוץ sine ו scriptum erat, tum falsa nescio quae antecedentis בעליל interpretatio. Quin fortasse poëta simpliciter חָרֻץ scripsit, et ל e fine antecedentis vocis perperam repetitum est.

Ad colon 8um: אַתָּה־יְהוָה תִּשְׁמְרֵם תִּצְּרֶנּוּ מִן־הַדּוֹר זוּ לְעוֹלָם. Ut vulgò leguntur verba, pronomen tertiae personae plurale in תִּשְׁמְרֵם et singulare in תִּצְּרֶנּוּ statui debent *afflictos* et *inopes*

significare, de quibus in colo 6to, et quidem primò pluraliter, sed deinde in fine coli, in לוֹ, singulariter, facta est mentio. Quia *in genere* ibi de afflictis et inopibus sermo est, non mirum nec praeter consuetudinem est, poëtam singularem numerum cum plurali commutare: vid. Gramm. Hebr. § 412 sqq.: sed hîc in duabus continuis vocibus durior esse videtur isthaec commutatio. Tum, si *in genere* et *universe* de afflictis et inopibus hîc loqueretur poëta, non conveniret dicere, *a generatione hac perpetuò* eos servaturum esse Iehovam: sic enim non in genere universos afflictos et inopes, sed eos duntaxat, qui in illâ impiâ generatione viverent, eum significare apparet. — In aliis exemplaribus scriptum est תִּצְּרֵנוּ *servabis nos.* Hoc utique praestat. Ita in priore quidem membro de afflictis et inopibus in genere, sed in posteriore de *se suisque* loqueretur poëta. — In tribus verò manu scriptis libris a primâ manu exaratum est תשמרנו pro תשמרם, atque ita iam Graecus interpres Alexandrinus invenit scriptum, reddens *φυλάξεις ἡμᾶς, καὶ διατηρήσεις ἡμᾶς.* Sic maior erit membrorum parallelorum aequalitas. Et non ignoro quidem hanc artis criticae regulam, quae quod difficilius et primâ specie minùs planum est, faciliori et primâ specie planiori praeferre iubet: sed novi quoque frequentem huius regulae abusum; et nonne casu fieri potuit, ut facilius illud et planius תשמרנו in difficilius et minùs planum תשמרם mutaretur? Quàm facilè enim litterae נו in מ coalescere potuerunt? Et saepe hoc accidit: conf. Muntinghi Critice veteris Foederis, p. 97. Tum Graecus interpres Alexandrinus testis est omnibus editionis Masorethicae exemplaribus multò antiquior. — In Syriacâ translatione sic legitur: ܘܐܢܬ ܡܪܝܐ ܬܛܪ ܐܢܘܢ. ܬܢܛܪܝܢܢ ܘܬܦܨܝܢ ܡܢ

ܕܳܪܳܐ ܗܳܢܳܐ ܠܥܳܠܰܡ *Et tu, domine, tueberis eos: libera me et eripe me e generatione hac in perpetuum.* Quum haud veri simile esse videatur, interpretem posterius verbum bis duobus diversis verbis transtulisse, verba ܦܨܳܢܝ; ܐܢܬ non ab interprete profecta esse iudicanda sunt, sed inserta e margine, cui ut melior et accuratior vocis תשמרם translatio fuissent adscripta: interpretem igitur legisse תשמרני et תצרני. Atque ita poëtam scripsisse, admodum probabile esse videtur. Nam in tantâ, quanta olim fuit, litterarum י et ו similitudine, facilè accidere potuit, ut iam a Graeco interprete Alexandrino et deinde ab aliis perperam תשמרנו et תצרנו legeretur, praesertim postquam ני vel נו in מ coaluisset. Poëtam in hoc carmine non solùm pro se, sed etiam pro aliis, ut ab improbâ istâ generatione servarentur, Iehovam precari, neque apparet, neque veri simile est: et recte, credo, primam carminis vocem הוֹשִׁיעָה Graecus interpres Alexandrinus interpretatus est *Σῶσόν με.*

Ad colon 9um: סָבִיב רְשָׁעִים יִתְהַלָּכוּן כְּרֻם זֻלּוּת לִבְנֵי אָדָם. — Difficillimae interpretationis haec verba sunt; et, quod de suâ eorum interpretatione, quam tamen ceteris praefert, ipse fatetur Wettius, sensum, quem fundat, non satisfacere neque apte claudere carmen, id de omnibus valet. Hoc quidem intelligo et constat mihi, describi his verbis *generationem istam*, a quâ, ut servet eum Deus, in antecedenti colo precatur poëta. Atque ita aptissimum sensum praebet hemistichium prius: *Undique improbi obambulant;* ut describatur generatio, in quâ qui vivat, quoquo se vertat, ubique improbis et scelestis circumdatus sit. Sed haeretur in posteriore hemistichio, in quo si cum Masorethis כְּרֻם pronuntiatur, ut רֻם, quasi רום scriptum esset, pro Infinitivo

nominali ducatur, tolerabilis sensus verbis subiici nequit. Licetne statuere, a stirpe כרם (*generosum esse*), quae in Arabico sermone frequentissima est, in Hebraeo non unice derivatum vocabulum כֶּרֶם (*vinea*) usitatum fuisse? Ita כֹּרֶם pronuntiandum esset, et sensus exsisteret aptissimus hicce: *generositas vilitas est hominibus;* ut describatur generatio, in quâ adeo invaluerit nequitia, ut generositas pro vilitate ducatur.

AD PSALMUM TERTIUM DECIMUM.

Ad colon 3^{um}: עַד־אָנָה אָשִׁית עֵצוֹת בְּנַפְשִׁי יָגוֹן בִּלְבָבִי יוֹמָם. — In priore horum duorum parallelorum membrorum non convenit vocabulum עֵצוֹת *consilia.* Recte Nic. Guil. Schroeder mendum in voce esse suspicatus est, et prope a vero abfuisse videtur, עַצָּבוֹת legendum esse coniiciens. Quin singulariter עַצֶּבֶת (*dolor*, *moeror*, *aegritudo*) poëtam scriptum reliquisse statuimus. Sic בְּנַפְשִׁי respondet parallelo יָגוֹן בִּלְבָבִי. — In parallelo membro יוֹמָם *totum diem* vel *perpetuò* interpretari solent: sed adversatur linguae usus, secundùm quem יוֹמָם semper *interdiu* significat, eiusque contrarium לַיְלָה (*noctu*) est. Inepta quidem in hoc loco ea vocis significatio est: sed ideo a scribis librariis corruptam esse iudico et legendum esse יוּשַׂם *ponetur*, id est, propter constructionem cum בִּלְבָבִי, *iniicietur.* Quàm apte hoc respondeat parallelo אָשִׁית, quis non videt? De permutatione litterarum שׂ et מ conferatur annotatio ad Ies. 3: 10 (voluminis 1^{mi} pag. 96).

AD PSALMUM QUARTUM DECIMUM
AC
TERTIUM ET QUINQUAGESIMUM.

Duo habemus his duobus psalmorum voluminis locis unius carminis exemplaria, de quorum differentiis quid iudicem,

et quae ad verborum intelligentiam conferre posse mihi videor, breviter explicare conabor.

Pro עֲלִילָה, quod in colo 1mo prioris exemplaris legitur, in posteriore עָוֶל habetur. Non hoc, sed illud vocabulum a poëtâ profectum esse, dubitari nequit. Statuendum autem censeo, posterius exemplar ex memoriâ litteris esse mandatum, adeo ut levia quaedam vitia facilè irrepere potuerint; atque eum, qui litteris mandaverit, vel eum, a quo acceperit, non valde acri in linguâ Hebraeâ valuisse iudicio sive sensu: sic enim facilè accidere potuit, ut pro vocibus, quae in memoriâ obscuratae et, ut ita dicam, fere oblitteratae essent, alias minùs aptas substitueret. Ita perperam quoque וְהִתְעָרְבוּ cum coniunctione edidit.

Idem in omnibus iis locis, in quibus secundum prius exemplar Deus proprio nomine יהוה appellatur (initio coli 2di, in colo 4to, 6to et 7mo), appellativum vocabulum אֱלֹהִים usurpavit. Quod demonstrare videtur, de industriâ usum istius proprii Dei nominis in hoc posteriore exemplari evitatum fuisse; atque adeo veri simile est, litteris mandatum esse hoc exemplar tempore, quo iam invalescere coeperat illa Iudaeorum superstitio, quae sacrosanctum illud nomen pronuntiare veretur: invaluisse autem videtur illa superstitio iam satis citò post reditum de exilio Babylonico. Idque eo probabilius est, quòd, ut modo dixi, in hoc exemplari inveniuntur, quae non valde acrem linguae Hebraeae eiusque consuetudinis produnt sensum. Videlicet illo tempore lingua Hebraea in ore populi et quotidiano sermone frequentari et, ut ita dicam, vivere desiit, adeo ut non ampliùs vernacula esset lingua; in quâ quod non apte nec recte dicatur, omnes suâ sponte fere sentiunt et evitant. Idem autem illud,

quod de evitato in posteriore exemplari nomine יהוה observavi, comprobat quod statuendum me censere dixi, id ex memoriâ litteris mandatum fuisse: nam pronuntiare quidem, sed non item describere illud nomen verebantur Iudaei. Ab usu illius nominis non abstinuisset, qui posterius hoc exemplar scripsit, si descripsisset ex alio exemplari: sed non scripsit illud nomen, quia non audiverat; quia iam is, a quo carmen acceperat, non pronuntiaverat istud nomen eiusque loco dixerat אֱלֹהִים.

Pro הַכֹּל סָר, quod in priore exemplari colo 3tio habetur, in posteriore legitur כֻּלּוֹ סָג. — Et כֻּלּוֹ quidem facilè in memoriâ pro הַכֹּל substitui potuit: utrumque enim plane idem significat et aeque bonum est. Nam pronomen in כֻּלּוֹ non pro certo quodam, quod animo obversatur, nomine positum est, sed, ut saepe, infiniti quiddam significat: utrumque, tam כֻּלּוֹ, quàm הַכֹּל, proprie idem valet, ac Latinum *omne* sive *universum*, vernaculum et Germanicum *alles*. — Sed non pariter iudicari potest de verbo סָג. Sane quàm mirum esset, si hoc in memoriâ quasi sponte suâ se substituisset pro סָר: nam verbum סוּג in sermone Hebraeo rarissimi usûs est, atque in Aramaeo, ei, qui posterius exemplar scripto mandavit, aut ei, a quo ille accepit, Hebraeo multò notiore, plane inusitatum; contrà nihil frequentius et vulgatius verbo סוּר. Itaque multò probabilius est, סר, quod in priore exemplari legitur, pro סג substitutum esse a nescio quo scribâ librario, qui ita legendum esse censeret. Quod ita censere potuit, quia verbum סוּג non valde aptum esse et in tali sententiâ, qualis hìc habetur, minùs convenire, aut absolutum eius sine aliquo complemento usum a consuetudine linguae abhorrere iudicabat, adeo ut licentiam sibi sumserit verbum

סוּר, quod eiusdem fere significationis, sed huic loco longe aptius esset, ei substituendi. Sed fortasse non tam arbitrarie egit. Fieri enim potuit, ut in exemplari, ex quo describeret librarius, litteram Gimel ita scriptam inveniret, ut haberi quidem posset pro Gimel, sed etiam pro Resch minùs bene exarato; quare, quum verbum quidem סוּר, sed non item סוּג, huic loco convenire videretur, סר, non סג, legendum et scribendum esse iudicaverit. Id ita accidere potuisse, qui in palaeographiâ Hebraeâ non sit hospes, non infitiabitur, credo. — Igitur non dubitandum esse videtur, quin poëta dederit סג. Atqui hoc ego dubitari posse censeo, num poëta eo idem significare voluerit ac si dedisset, ut in priore exemplari legitur, סָר, id est *deflexit*, *recessit*, *avertit se*, a Deo puta vel a recto tramite. Nam, si animadvertimus, statim quasi per appositionem adiungi יַחְדָּו נֶאֱלָחוּ *simul unâ corrupti sunt*, hoc autem verbum proprie de *rebus* dici, quae corrumpuntur, ut de lacte, quando *acessit;* profectò in antecedente articulo non valde congruere videtur illud verbum סוּג, quo non pariter a *rebus* sumtâ similitudine, sed magis proprie, *hominum* agendi rationis pravitas designatur. Idcirco suspicor equidem, illud סג hîc non esse Perfectum istius verbi סוּג, sed nomen *scoriam* significans. Plerumque *scoria* in sermone Hebraeo plurali vocabulo סִגִּים vel סיגים dicitur: sed Ezech. 22: 18 singulariter סוּג. Ibi Masorethae quidem pro סוּג, quod scriptum inveniebant, legere iusserunt סִיג: sed, an iure hoc fecerint, non sine ratione dubitari potest. Potuit enim vocabulum in singulari cum aliâ vocali proferri, atque in plurali; vel, potiùs dicam, duae esse potuerunt eiusdem significationis formae, quarum aut utraque aut una tantùm in singulari, altera in

solo plurali usitata fuerit. Nihil igitur vetat statucre, *scoriam* in singulari numero סוֹג, sive סֹג, esse dictam, ac tam in carmine, de quo agimus, quàm in eo vaticiniorum Ezechielis loco, sic pronuntiare. Etiamsi autem statuimus, recte Masorethas, nec sine auctoritate aliorum exemplarium, in eo loco Iôd pro Vau legendum censuisse, atque adeo scoriam in singulari numero dictam esse סִיג; nihil tamen est, quod vetet statuere, hîc in carmine aliam offendi, quae pariter et eodem sensu usitata fuerit, formam, ac pronuntiandum esse סַג cum Pathach, unde in plurali numero סִגִּים dictum sit, quemadmodum exempli causâ צִדִּים a צַד est. Sic sola altera illa forma pluralis sine Dagesch סִיגִים ab alterâ illâ formâ singulari סִיג, quae auctoritate Masoretharum apud Ezechielem legitur, inclinata esset. Statui quoque potest, propriam et primigeniam formam singularem fuisse סַג (pro סֵג, a stirpe סגג), et in plurali proprie סִגִּים esse dictum, sed etiam, neglectâ post Chirek litterae duplicatione, סִיגִים, sicut in מוֹרִיגִים pro מוֹרִגִּים a מוֹרַג, et in aliis similibus, quae a grammaticis vulgò afferuntur (vid. Gramm. Hebr. § 64); hanc autem ipsam in plurali pronuntiationem causam fuisse, cur in singulari etiam cum productiore vocali סִיג dictum sit. Fortasse autem in isto Ezechielis loco nec סִיג, ut Masorethae volunt, nec סוּג, quod scriptum invenerunt, sed, ut in uno manuscripto exemplari Kennicottus invenit, סג legendum, et hoc סַג pronuntiandum est. Facilè enim accidere potuit, ut illud ו nescio quo casu additum sit. Fieri hoc potuit per pravum ductum litterae ג, qui statim quidem, altero ג scripto, a scribâ librario correctus, sed non statim deletus, atque adeo ab eo, qui postea id exemplar describeret, pro ו habitus sit. Fieri hoc potuit etiam aliis modis. Quicquid au-

tem de hisce, quae fieri potuerint, statuatur, quidve maxime probabile esse videatur; hoc satis probabile esse puto, in hoc carminis loco סג, sive סֵג, sive סֹג, sive denique, si quis hoc malit, סִג pronuntietur, nomen esse, quod *scoriam* significet, et verborum sensum esse hunc: *Omne scoria est;* linguâ Germanicâ: *Alles ist Schlacke.*

In priore exemplari colo quarto sic legitur: הֲלֹא יָדְעוּ כָּל־פֹּעֲלֵי אָוֶן אֹכְלֵי עַמִּי אָכְלוּ לֶחֶם יְהוָה לֹא קָרָאוּ. Similiter in posteriore, nisi quòd ibi, ut iam monui, אֱלֹהִים pro יְהוָה legitur, et כָּל־ omissum est. Hoc non miramur, si ex memoriâ id exemplar scriptum est. Sed fortasse incuriâ scribarum librariorum excidit: nam non tantùm in multis libris manuscriptis legitur, sed etiam ab antiquis interpretibus expressum est. Recte autem Muntinghe mihi iudicasse videtur, in priore exemplari perperam Masorethas id vocabulum כל cum sequente construxisse, quum construi debeat cum antecedentibus et כֹּל proferri, ut sensus sit: *An nihil intelligunt malefici?* Idem valet, quod in posteriore vulgò legitur: *An non intelligunt* — id est *An intelligentiâ carent* — *malefici?* Reliqua verba recte Köster pro enuntiatione relativâ duxit, sic convertendâ: *qui comedentes populum meum comedunt panem, dum Iehovam non invocant.* In explicando horum verborum sensu paullulum tantùm ab eo dissentiendum esse videtur. Significantur a poëtâ oppressores populi (in exilio, ut ex ultimo colo apparet), qui *comedentes populum*, id est, opibus, populo vi et iniuriâ expressis, fruentes, *comedunt panem*, id est large et laute vivunt, *dum Iehovam non invocant*, Iehovam, populi istius deum non colentes, colere eum et metuere negantes, quum tamen solus sit deus, qui ut religione colatur, dignus sit. Sic igitur fieri nequit, quin

populi istius, quem adeo vexant, dei tutelaris et vindicis Iehovae excitent iram et vindictam: et hoc est, cur roget poëta, an igitur non intelligant — nihil intelligant, id est prorsùs insaniant — isti improbi et malefici.

Jam sequuntur duo in priore exemplari cola, pro quibus quae in posteriore leguntur verba, mirum quantum discrepant. Quae discrepantia ut appareat et iudicari queat, amborum exemplarium verba duabus columnis iuxta se positis hîc infrà describam.

Ex priore exemplari	Ex posteriore exemplari
שָׁם פָּחֲדוּ פָחַד	שָׁם פָּחֲדוּ־פַחַד לֹא־הָיָה פָחַד
כִּי־אֱלֹהִים בְּדוֹר צַדִּיק׃	כִּי־אֱלֹהִים פִּזַּר
עֲצַת־עָנִי תָבִישׁוּ	עַצְמוֹת חֹנָךְ הֱבִשֹׁתָה
כִּי יְהוָה מַחְסֵהוּ׃	כִּי־אֱלֹהִים מְאָסָם׃

De tantâ discrepantiâ ut breviter dicam, quod iudico; statuendum esse censeo, in posteriore exemplari, quamquam ex memoriâ primùm scripto mandato, vera poëtae verba nobis tradita esse, excepto uno tantùm, quod deinde irrepserit, scripturae mendo in חנך; sed in priore exemplari verba miro modo corrupta esse, corruptionisque probabilem causam fuisse hanc, quòd aliquando descripta sint de exemplari, in quo paene oblitterata essent, adeo ut aliquot voces, aut nonnullae certe aliquot vocum litterae, non possent legi, sed e ductibus, qui remansissent, coniecturâ quâdam restitui deberent, — in coniectando autem non admodum felicem fuisse scribam librarium. — Sed videamus primùm de verbis, ut in posteriore exemplari leguntur. — Et primorum quidem verborum sensus manifestus est. *Ibi paverunt pavore*, *dum non fuit pavor;* id est: Dum oppressores po-

puli ita populum omni modo vexabant et iniuriarum suarum fructibus securi fruebantur, ne cogitantes quidem de vindictâ divinâ, en derepente perculsi sunt pavore, dum tamen non erat, quod paveretur. Terrorem panicum iis iniectum esse dicit poëta, terrorem periculo multò maiorem, sed divinitus, a Iehovâ, iis incussum. Hoc enim significant sequentia verba, in quibus tamen pro חֹנָךְ, id est *oppugnatoris tui*, legendum esse coniicio יוֹנָךְ *oppressoris*, seu *vexatoris, tui.* Nam, quae antecedunt, in *oppugnatores* non convenire videntur, siquidem sermo est de universis maleficis, populum poëtae *comedentibus*, id est iniuriis suis et vexationibus exhaurientibus; et facilè ductûs litterarum י et ו in unam figuram, quae ח esse videretur, confluere potuerunt. — Loquutio פִּזַּר עַצְמוֹת offenditur quoque in formâ verbi reflexivâ Niph'al ps. 141: 7, loco obscuro et difficilis interpretationis, sed qui comprobat, quod ex usu loquutionis in praesenti loco iam colligi posse videtur, verbum פִּזַּר in eâ non significare, ut transferri solet, *dispergere.* Illic enim legimus: כְּמוֹ פֹלֵחַ וּבֹקֵעַ בָּאָרֶץ נִפְזְרוּ עֲצָמֵינוּ לְפִי שְׁאוֹל. Verbum פזר, فزر, in linguâ Arabicâ significat *findere*, *rumpere*, ut cum resolvitur in partes vetusta vestis. Iam, quum in isthoc loco antecedat haec comparatio: *ut quum scinditur et finditur in terrâ;* non dubium esse potest, quin ea, quae ex usu verbi in linguâ Arabicâ apparet, in illâ loquutione obtineat notio. Neque haec notio a vulgari verbi in linguâ Hebraeâ significatione discrepat. Nam *dispergere* vel *dissipare* et *discindere* vel *diffindere* in eo conveniunt, quòd significant facere, ut, quod in unum coniunctum vel compactum sit, disiungatur seu disparetur vel dissolvatur. Tum animadverti debet vocabulum plurale עֲצָמִים vel עֲצָמוֹת non tantùm *ossa*, sed etiam *coniuncta et*

compactu in unum corpus membra, seu totam *corporis compagem*, significare, adeo ut Latine aptissime *membra* vel *membrorum compages* transferas; veluti ps. 6: 3 et 35: 10. Verborum igitur sensus hîc esse videtur: *Ut quum scinditur et finditur in terrâ*, compactus humus dissolvitur, ita *discissae* vel dissolutae *sunt membrorum nostrorum compages*. Quodque additur, *ad modum Orci*, id significare puto: *ut manes*, רְפָאִים, *esse videamur*. *Manes* enim in linguâ Hebraeâ appellantur a *flaccidâ*, *laxâ*, *enervi et infirmâ* naturâ, quia non firmiter compacta corpora sunt. — Atque ita patet quoque, credo, verborum in psalmo 53[tio] sensus, dummodo pro חֹנָךְ, ut conieci, legitur יוֹנָךְ: *Nam Deus discidit membrorum oppressoris tui compages*. Populus Israëliticus, populus suus est, quem poëta alloquitur. *En ibi*, inquit, derepente *pavore correpti sunt* scelerati isti populi vexatores, *quum tamen nihil esset tanto pavore dignum. Videlicet Deus*, mi popule, *discidit membrorum oppressorum tuorum compages*: Deus est, qui fecit, ut quasi dissolutis membrorum vinculis omnibus artibus contremiscerent, et pavidi a te vexando desisterent. — Verborum, quae adduntur, planissimus sensus est: *Pudefecisti*, *nam Deus reprobat eos*. Hoc est: fecisti, ut frustrati et confusi a vexationibus suis desisterent; hoc tibi successit, nam Deo exosi sunt. Intelligimus autem ex his verbis, aliquid egisse in exilio Israëlitas, quo factum sit, ut derepente pavore correpti et consternati ab iis vexandis, aliquamdiu certe, desisterent. Illud quid fuerit, in historiâ non exstat memoriae proditum. Posset aliquis suspicari, fuisse id, quod in libello, cui ab Estherâ nomen est, non sine exaggeratione narratum sit: at certe incerta mihi dicenda esse videretur coniectura. Quicquid autem

illud fuerit, intelligimus nihilò minùs carmen, cuius initio poëta omnes homines corruptos, improbos et impios esse dicens, omnes eos censendus est significare, inter quos Israëlitae in exilio viverent, quippe a quibus omni modo improbe et impie vexarentur et opprimerentur.

Iam animum advertamus ad verba, prout in priore exemplari leguntur; de quorum discrepantiâ, ac primâ et praecipuâ huius discrepantiae causâ, quid in universum statuendum esse censeam, suprà iam dixi. Puto autem ea, postquam e pessime scripto vel in hoc loco paene oblitterato exemplari non valde felici coniecturâ restituta essent, etiam deinde a scribis librariis non parum corrupta esse. Ac primò quidem non dubitandum esse videtur, quin post verba שָׁם פָּחֲדוּ פָּחַד exciderint ea, quae in posteriore exemplari sequuntur לֹא־הָיָה פָּחַד: nam legit haec in suo codice Graecus interpres Alexandrinus, et facillime, oculo ab uno פחד ad alterum aberrante, in describendo omitti potuerunt. Etiam in posteriori exemplari nonnulli codices haec verba non habent, et causa, cur ibi quoque omissa sint, fortasse eadem fuit: nam minùs veri simile esse videtur, quòd etiam statui posset, propterea omissa esse verba, quòd non legerentur in psalmo 14to. E contrario, quòd in uno huius psalmi exemplari manu scripto etiam nunc leguntur, hoc collationi cum psalmo 53tio tribuendum est. Hanc autem collationem causam quoque fuisse, cur in Graecâ translatione Alexandrinâ legantur, minùs probabile esse iudico. Atque, etiamsi in hac translatione non legerentur, tamen ea verba addenda esse censerem, quum tam facilè incuriâ scribae librarii excidere potuerint. — Porro in altero membro mendosum esse puto בְּדוֹר. Frustra verbis, ut vulgò le-

guntur, tolerabilem sensum tribuere conati sunt interpretes. Suspicor, ductûs duarum litterarum ד et ו in unam litteram ח iungendos esse, ut legatur בָּחַר: *nam Deus diligit iustum.* Quodsi autem animadvertimus, verbis בְּדוֹר צַדִּיק, vel, ut ego legendum esse iudico, בָּחַר צַדִּיק, in posteriore exemplari nihil aliud respondere praeter verbum פִּזַּר, fateor, non valde credibile posse videri, in hoc priore exemplari a principio non aliter fuisse scriptum, quàm quod nunc in posteriore legitur. Nam fieri quidem potuit, quum verbum פזר in codice paene obliteratum esset, scribam librarium e ductibus, qui reliqui essent, collegisse legendum esse בחר: sed non aeque probabile est, eum ad complendam sententiam de suo addidisse צַדִּיק, quum tamen nullum huius vocabuli in codice, quem describeret, esset vestigium. Idcirco non sine ratione statuemus, credo, revera haec verba בָּחַר צַדִּיק scripsisse poëtam, sed in posteriore exemplari ea ante פִּזַּר excidisse, sive quòd in traditione e memoriâ elapsa essent, sive potiùs scribae librarii negligentiâ, quum oculus a בחר ad simile פזר aberraret, adeo ut illae duae voces omitterentur. Ita certe habebimus duo disticha omnino parallela, alternis hemistichiis sibi invicem respondentibus.

שָׁם פָּחֲדוּ־פַחַד לֹא־הָיָה פָחַד
כִּי־אֱלֹהִים בָּחַר צַדִּיק׃
פִּזַּר עַצְמוֹת חֹנָךְ הֱבִישֹׁתָה
כִּי יְהוָה מְאָסָם׃

Si quis tamen malit הֱבִישֹׁתָה cum quarto, quàm cum tertio hemistichio iungere, equidem non repugnabo. — Quod autem pro פִּזַּר עַצְמוֹת חֹנָךְ הֱבִישֹׁתָה in priore exemplari scriptum legimus עֲצַת־עָנִי תָבִישׁוּ, id vix aliter explicari posse videtur,

quàm ita ut statuatur, verba adeo oblitterata fuisse, ut e ductibus, qui reliqui essent, non nisi coniectando tolerabilem sententiam efficere posset scriba librarius. Atqui in verbis, ut nunc leguntur, etiam mendum esse puto. Nam, etsi conceditur, quod haud probabile esse videtur, Hebraïce dici potuisse *pudefacere*, pro *irritum facere* seu *frustrare*, alicuius *consilium;* tamen verba, nisi misere, ut ab interpretibus factum est, torqueantur, sensum non habebunt huic loco convenientem. Suspicor, pro עצת rescribendum esse, עצה; quod tunc עֹצֵה proferri debet, ut Participium sit verbi עָצָה, quod in linguâ Aramaeâ *opprimere* et *vexare* significat. Sic aptissimus erit sensus: *Oppressorem afflicti pudefacietis;* id est: facietis, ut frustratus et confusus a vexandis afflictis desistat. Facilè autem, quum עצה nihil aliud, quàm *consilium* (עֵצָה), significare posse videretur, hoc autem vocabulum in absoluto statu hîc non haberet locum, alii deinde iudicare potuerunt, debere vocabulum in constructo statu esse et scribi עֲצַת. — Denique pro מאסם quoque, vel, ut fortasse in codice scriptum erat cum singulari pronomine, pro מאסהו, quum non satis perspicui essent ductûs, certe secundae litterae, perperam lectum et scriptum est, quod hîc aptissimum sensum habere videbatur, מחסהו, id est *refugium eius*, puta *afflicti.*

AD PSALMUM QUINTUM DECIMUM.

Ad colon 2^{dum} et 3^{tium}. — Pro וְדֹבֵר legendum censeo sine coniunctione דֹּבֵר. Sic scriptum invenit Graecus interpres Alexandrinus: nam hunc, qui tam crebrò coniunctionem, ubi non legebat, in translatione de suo addidit, hîc eam, quum legeret, contra consuetudinem suam omisisse, haud

veri simile esse videtur. Atqui Masorethae quum perperam cum coniunctione scriptum invenirent, hoc causa fuit, cur perperam quoque cola distinxerint. Ultimum secundi et primum tertii coli membrum sibi ex parallelismo respondent, ideoque coniungenda sunt in unum distichon:

דֹּבֵר אֱמֶת בִּלְבָבוֹ
לֹא־רָגַל עַל־לְשֹׁנוֹ

Parallela haec duo membra esse, vel ex eo confici potest, quòd בִּלְבָבוֹ et עַל־לְשֹׁנוֹ sibi invicem respondere apparet. Et, sicuti duo paralleli articuli in colo 2^do^ antecedunt, ita duo alii in 3^tio^ sequuntur; ut dubium esse nequeat, quin pariter duo reliqua horum colorum membra ut parallela in unum distichon coniungenda sint. — Posterius autem huius distichi membrum sic interpretantur, ut verbum רָגַל hîc *calumniari* vel *obtrectare* significare dicant. Et haec verbi significatio satis certa esse videtur: nam forma eius Pi''el, licet aliàs *explorare* terram denotet, tamen 2 Sam. 19: 28 vix aliud, quàm *calumniari* significare potest. Eadem igitur significatio etiam hîc verbo in formâ Kal satis convenire visa est interpretibus. Mihi secùs videtur. Non convenit enim constructio cum עַל־לְשֹׁנוֹ *super linguâ suâ.* Oporteret esse בִּלְשֹׁנוֹ *linguâ suâ.* Etiam magis hoc apparet, si animadvertimus, verbum, quod aliàs de *explorandâ* terrâ usurpatur, proprie vix aliud quàm *obire* significare posse: at quo pacto, quaeso, dici potuit *obire super linguâ suâ?* Idcirco non dubito, quin pro ר rescribendum sit ד, et legendum דֶּגֶל sive דֶּגֶל. Quod nomen nunc quidem in scriptis Hebraicis, quae nobis supersunt, nusquam legitur, sed *mendacium* vel *falsitatem* significasse ex usu stirpis in Ara–

maeâ et Arabicâ linguâ conficitur. Daleth quoque, non Resch, legit Graecus interpres Alexandrinus, quamquam perperam דגל pro verbo habuit; transtulit enim: ὃς *οὐκ ἐδόλωσεν ἐν γλώσσῃ αὐτοῦ.* Idem de Syro interprete iudicandum esse videtur, et hunc verbum, aut, sicut antecedens דִּבֵּר in Participio דֹּגֵל, aut דַּגָּל enuntiasse, quum reddiderit: ܢܟܘܠܐ *fraudulentus* sive *dolosus* (est). Non autem opus est dicere, quàm aptus sit, qui, si ita דֵּגֶל vel דֹּגֶל legitur, exsistit sensus: *super cuius linguâ non est falsitas.* Apparet quoque egregia membrorum parallelorum, si ita legitur, concinnitas, quum *quae* aliquis *cum animo suo loquitur*, et *quae linguâ sua eloquitur*, ita componantur, atque illa *sincera*, haec *sine falsitate* esse dicantur. — Quod autem suprà dixi, *calumniandi* vel *obtrectandi* significationem satis certam videri, quum 2 Sam. 19: 28 vix aliud verbum significare possit; id ex vulgari interpretum opinione dixi, qui nihil dubitant, quin ibi quoque, sicut vulgo editur, recte legatur. Sic ibi vulgò scribitur et legitur: וַיְרַגֵּל בְּעַבְדְּךָ אֶל־אֲדֹנִי הַמֶּלֶךְ; idque vulgò sic interpretantur: *Calumniatus* (sive *Falsò criminatus*) *autem est servum tuum apud dominum meum regem.* Et profectò aptissimus hic sensus est: sed non apparet, quomodo verbum, quod aliàs *explorare* terram significat, sic, ut hîc factum videmus, constructum, illum sensum obtinere possit. Dicunt quidem, verbum proprie *circumire* valere, maxime *furtim*, atque ita speciatim usurpari de iis, qui calumniandi vel obtrectandi causâ circumeunt. At quomodo, quaeso, *circumivit in me ad regem* unquam significare potuit: *criminatus me est apud regem?* Ego suspicor, etiam hîc pro Resch scribendum esse Daleth, ut legatur וַיְדַגֵּל, ut sensus sit: *Mentitus autem est in ser-*

vum tuum ad dominum meum regem. Et hanc suspicionem hoc non parum confirmare videtur, quod pariter in Syriaco sermone ܕܰܓܶܠ cum praepositione ܒ construitur, ut significet *mentiri in aliquem.*

AD PSALMUM SEXTUM DECIMUM.

Hoc carmen Davides fudisse videtur, dum, ut memoriae traditum legimus 1 Sam. 23: 19 sqq., Saulus viarum ducibus et indicibus Ziphitis, qui Davidem in regis manum tradere polliciti erant, eum sedulò persequebatur, et fortasse eum cepisset quoque, nisi nuntius advenisset, Philisthaeos impetum in agros Israëlitarum fecisse, ideoque Saulus confestim cum exercitu coactus fuisset reverti. Paullò ante ad amicum suum in illa loca veniens Ionathan animum ei addiderat, hortatus, ut in Deo eiusque auxilio et promissis omnem suam collocaret fiduciam, et inter alia ita eum affatus erat: *Ne metuas: nam non venies in potestatem Sauli patris mei: tu regnum obtinebis Israëliticum.* Quid mirum, si hoc amici alloquio confirmatus tam firmam Davides in hoc carmine spem pronuntiaverit, fore, ut e periculo, in quo esset, a Deo liberaretur, et sortem, quam Deus ei destinasset, adeptus, vitam aliquando ageret beatam?

Ad colon 2um et 3um: אָמַרְתְּ לַיהוָה אֲדֹנָי אָתָּה טוֹבָתִי בַּל־עָלֶיךָ׃
לִקְדוֹשִׁים אֲשֶׁר־בָּאָרֶץ הֵמָּה וְאַדִּירֵי כָּל־חֶפְצִי־בָם׃. — Masorethae אָמַרְתְּ scripserunt, statuentes, ut e Chaldaïcâ interpretatione apparet, Davidem hîc, licet non appellet, *animam suam* alloqui. Hanc autem antiquorum Iudaeorum interpretationem iure improbantes, nunc vulgò interpretes אָמַרְתִּ legunt, quemadmodum etiam in nonnullis exemplaribus contra Masoram scriptum repertum est: et monent, pariter sine י primam

personam singularem Perfecti exaratam offendi in aliis locis quattuor. — Illam primam personam hîc requiri, non dubium esse potest. Verùm, si reputamus, in ceteris illis millenis locis, in quibus illa prima Perfecti persona usurpata est, eam cum י esse scriptam, ac praeterea, orthographiae Hebraïcae regulam esse, vocalem *i* in fine vocum per litteram Iôd designare; nonne in paucis illis locis, in quibus ea persona sine Iôd scripta est, *vitium ortographicum* esse dicendum est? Quid enim aliud vitium orthographicum est, quàm constantis, quam etiam tu ipse sequaris, in scribendo consuetudinis negligentia? Iam, talis vitii orthographici causa aut scribae librarii, aut ipsius auctoris, negligentia esse potuit. Atqui talis non aliorum tantùm, sed etiam suae consuetudinis negligentia nonne incogitantia sive hallucinatio dicenda est? Haec, fateor, homini accidere potest, sed non facilè tamen in scriptoribus aut scribis Hebraeis mihi statuenda esse videtur. Certe in omnibus illis quinque locis, in quibus illa prima persona sine Iôd scripta offenditur, hoc tali incogitantiae sive hallucinationi tribuendum esse, haudquaquam probabile, nedum certum esse puto. Vitii seu mendi etiam alia causa esse potuit, nisi in omnibus, tamen in nonnullis locis. Et locum, in quo nunc versamur, consideranti mihi suspicio oritur, pro litterâ ל, quae nunc prima est in sequente voce ליהוה, rescribendum esse י, adeo ut pro אמרת ליהוה legatur אָמַרְתִּי יְהוָה *Dixi: Iehova*, etc. Sic enim non tantùm primam Perfecti personam, sic ut solet scribi et in ipso hoc carmine, tum in proxime antecedente, tum in sequentibus colis, scribitur, cum Iôd habebimus scriptam: sed ita quoque tollitur, quod, sicut vulgò legitur, offendit et inconveniens esse videtur, ut,

postquam in superiore colo dixit, *Serva me, Deus; nam confugio ad te*, nunc, quasi non Deum, sed alios alloquatur, sic pergat poëta: *Dixi Iehovae;* et quae sequuntur.

Quicquid autem eâ de re iudicetur, hoc certum esse videtur, quod iam alii monuerunt, non, ut Masorethae arbitrati sunt, pronomine אַתָּה, sed vocabulo טוֹבָתִי membrum finiri, ut legatur: אַתָּה טוֹבָתִי. Ita hic verborum sensus erit: *Dixi* (puta *cum animo meo*), *Iehova Domine*, *tu bonum meum es.* — Verba, quae in hoc colo ex Masoretharum distinctione sequuntur, בַּל־עָלֶיךָ, tunc cum sequentis coli verbis construenda sunt, atque ita haec exsistit sententia: *Non super te sanctis est*, *qui in terrâ sunt*, *et illustrissimis eorum*, *quibus quàm maxime delector;* id est: non supra te habent — non, quod tibi anteponant, habent — sancti, qui in terrâ sunt, sive pii in populo Israëlitico summi numinis cultores, et amicorum meorum dilectissimorum illustrissimi. Est tamen in hac sententiâ, quod me offendit. Nam non tantùm in illâ piorum in civitate Israëliticâ Dei cultorum appellatione, ut hîc dicantur *sancti*, *qui in terrâ sunt*, nescio quid inest, quod ut singulare miremur; sed, quod praecipuum est, non apparet, cur, quum ex iis, quae antecedunt et sequuntur, manifestum sit, poetam dicere velle, *se* Iehovam ut summum suum bonum colere eique confidere, hîc de sanctis, qui in terrâ sunt, ac de amicis suis, quin de amicorum suorum *illustrissimis* loquatur. Si per coniunctionem hanc sententiam antecedenti adiunxisset, quodammodo ea hîc ferri posset: nam ita sensus foret, non sibi tantùm, sed pariter sanctis et piis, itemque delectissimis suis amicis Iehovam summum bonum esse: quamquam etiam sic non intelligitur, cur de solis *illustrissimis* sive

amplissimis, aut, si mavis, *illustrioribus* sive *amplioribus*, inter amicos suos dilectissimos loquatur. Certe, ut sine coniunctione isthaec sententia hîc enuntiata est, ea huic loco haudquaquam congruere videtur. — Idcirco valde mihi arridet Hamakeri coniectura, pro בל־עליך לקדושים rescribendum esse בִּלְעֲדֵי כָל־קְדוֹשִׁים. Hanc coniecturam suam communicaverat cum discipulo suo, amico meo, M. A. G. Vorstman, qui eam commemoravit in 2[da] thesium, quas suo Commentario in Psalmum XVI, pro disputatione academicâ ad summos in Theologiâ honores obtinendos edito, subiunxit. Attamen sensus, qui, si ita legitur, exsistit, hic non satis percepisse videtur. Sensus enim, qui ita exsistit, hic est: *Dixi: Iehova Domine* (sive *Dixi Iehovae: Domine*), *Tu bonum meum es, extra omnes sanctos*, *qui in terrâ sunt*, *et illustrissimos eorum*, *quibus quàm maxime delector*. Animadverti debet, coniunctionem בִּלְעֲדֵי, quum ex בַּל *non* et עֲדֵי *ad*, *usque ad*, composita sit, valere *extra*, adeo ut significetur aliquid: *nihil pertinere ad* aliud quiddam, — hoc nihil cum illo commune habere; itemque vocabula קָדוֹשׁ et אַדִּיר in linguâ Hebraeâ ad *divinam maiestatem* significandam usurpari. Sensus igitur est: Non qui sanctorum nomine in hac terrâ appellantur, non illustres inter homines, ne illustrissimi quidem inter amicos meos dilectissimos; sed tu, Iehova Domine, tu solus, tu summum meum bonum es. Nam *sancti*, *qui in terrâ sunt*, hîc opponuntur sancto numini, quod in coelo est. Et, siquidem coniectura quaepiam hoc probabilior est, quo magis apparet, quomodo mendum committi potuerit; particula בִּלְעֲדֵי ex insolentioribus est, ac litterae ד et ל etiam alibi inter se permutatae sunt: vid. H. Muntinghe *Brevis expositio critices veteris Foederis*, p. 92.

Ad colon 4tum: יִרְבּוּ עַצְּבוֹתָם אַחֵר מָהָרוּ בַּל־אַסִּיךְ נִסְכֵּיהֶם מִדָּם וּבַל־אֶשָּׂא אֶת־שְׁמוֹתָם עַל־שְׂפָתָי׃. — Primum membrum, si recte legitur, ut a Masorethis editum est, sensum habebit huic loco convenientissimum, dummodo licet in hunc modum interpretari: *Multiplicantur dolores eorum*, *qui erga alium properant;* id est *qui alium sectantur*, vel *qui alium colunt.* Atqui sic statuendum est, verbum מָהַר hîc in formâ Kal propemodum idem significare, quod aliàs in solâ formâ Pi''el significat; attamen verbum hac *properandi* significatione hîc in illâ formâ alio sensu cum obiectivo personam designante complemento constructum esse, quàm in forma Pi''el 1 Reg. 22: 9 factum est, ubi מַהֲרָה מִיכָיְהוּ vel *propera ad Michaeum*, vel *accelera*, citò arcesse, *Michaeum*, significat. Nam hîc verbum cum tali complemento constructum significet, necesse est, *erga* aliquem *properare*, adeo ut *properare* hîc *sedulum ac diligens studium*, seu tantundem atque *colere*, designet, — linguâ vernaculâ: *zich om* iemand *bevlijtigen*, *benaarstigen* of *beijveren.* Et verò statui potest, hanc, quam vernaculis verbis expressi, significationem etiam proprium verbi sensum esse, quando alibi in formâ *Kal*, sicut in sermone Arabico prima et quarta forma, *dote sponsali* feminam in matrimonium *sibi petere* vel *acquirere* significat. — Etiam Masorethas verbum in formâ *Kal* enuntiantés, ei hîc non prorsùs eam, quam in formâ Pi''el obtinet, sed aliquantùm diversam eique, quam alibi in formâ Kal habet, affinem significationem tribuisse, apparet collatâ interpretatione Chaldaïcâ, in quâ primum coli membrum in hunc sensum translatum est: *Multiplicant idola sua; postea festinant ad offerenda munera sua.* Interpres ambas significationes, quas verbum in formâ Kal et Pi''el obtinet, quo-

dammodo coniungere studuit. Tres autem primas voces sic pronuntiavit: יַרְבּוּ עַצְּבוֹתָם אַחֵר, statuens, עַצְּבוֹת hic cum femininâ terminatione plurali idem valere atque עַצְּבִים. Diversam traditionem hîc sequuti sunt ii, qui vocalium notas adscripserunt, quam etiam Aquilam sequutum esse videmus, quum primum articulum converterit: *Πληθυνθήσονται διαπονήματα αὐτῶν.*

Illam igitur si verbo מָהַר tribuere licet significationem et constructionem, verba, ut vulgò leguntur, sensum habent aptissimum. Solummodo praestat, puto, cum Chaldaicae translationis auctore formâ Hiph'îl יַרְבּוּ proferre, ut convertendum sit: *Multos faciunt dolores suos* (id est multos *sibi dolores conciliant*), *qui alium colunt.* Verùm tamen fateri debemus, illam significationem, quam verbum potuisse habere non sine ratione statuitur, admodum incertam esse, quum per usum linguae Hebraïcae aut cognatarum linguarum haudquaquam comprobata sit. Idcirco aliqua certe mihi suspicio est, verba corrupta esse. Quid? si poëtam pro אחר מהרו scripsisse statuamus אֲחֵרִם הֹדוּ, ut sensus sit: *Multos sibi dolores conciliant, qui alios celebrant.* Facillimè certe, si hoc scriptum erat, mendum illud committi potuit, quandoquidem sine Iôd scripta erat pluralis terminatio masculina. Quamvis enim hoc nonnunquam factum sit, tamen admodum rarum est, et facilè in antiquâ vocum scripturâ continuâ scriba librarius induci potuit, ut litteram מ, quae tunc aliam in fine, quàm in principio et medio vocum, formam non habebat, cum sequentibus litteris iungendam censeret: atque hoc facto, vix fieri potuit, quin simul pro ד simillimam litteram ר legeret scriberetque מהרו: nam verbum מהד in sermone Hebraico non est. Sensum, qui ex illâ conie-

cturâ exsistat, aptissimum esse, nemo negabit: et loquutio illa, *celebrare deum*, aut, ut alibi est, *nomen dei*, frequens est in Hebraeorum scriptis, nec tantùm significat *laudare* deum pro acceptis beneficiis, sed etiam in universum deum *invocare*. Videatur exempli gratiâ 1 Reg. 8: 33 et 35.

In sequenti membro, *non libo libamina eorum de sanguine*, procul dubio *libaminum libatio* a poëtâ pro omnibus caerimoniis et universo cultu deorum dicta est. Perinde enim ut effusio seu libatio sanguinis mactatae hostiae in altare, vel ad pedem altaris, caerimoniarum in Israëlitico Iehovae cultu pars erat; sic eandem in praecipuis Canaänitarum, Philistaeorum aliorumque alios deos colentium populorum ritibus fuisse, non est, quòd dubitetur. In scriptis quidem Hebraeorum de illâ *sanguinis* hostiae effusione verbum יָצַק aut שָׁפַךְ, verbum נָסַךְ de *vini* libatione usurpari solet: sed tria haec verba communem habent *fundendi* et *effundendi* significationem, neque ita usu linguae restricta fuisse censenda sunt, ut duo prima de solo sanguine, tertium de solo vino dici potuerit; sed omnia tria omnium rerum effusionem denotare potuisse; quare et verbum נָסַךְ non minùs, quàm יָצַק, de *metallis* fundendis usurpatum offenditur. Eodem certe iure hîc illud verbum de *sanguinis* in sacrificiis effusione, praesertim a poëtâ, dici potuit. Et fortasse eo magis hoc verbo usus poëta est, quòd magis, quàm aliud eiusdem sensûs verbum, *solennis* ac *ritualis* in cultu deorum effusionis per usum linguae sibi subiectam haberet notionem. Quia tamen fere non nisi de *vino* libando usurpabatur, ideo pro complemento addidisse videtur מִדָּם, *de sanguine*. — Ceterùm quaeritur, utrùm pronomine in נִסְכֵּיהֶם ipsi *dii*, an eorum *cultores*, significentur.

Posterius statuere simplicius esse videtur: at, si animadvertimus, in sequente membro tertio idem pronomen manifestò *deos* designare, etiam in praecedente secundo ut eodem sensu accipiamus, convenientius esse videtur: et verò, ut in sermone Latino *caerimoniae deorum* caerimoniae sunt, quibus dii coluntur, sic etiam *libamina deorum* dici potuerunt libamina, quae in eorum cultu fiant. Sed nihil quoque vetat statuere, pronomine illo tertiae personae plurali poëtam in secundo membro cultores deorum, in tertio ipsos deos significare voluisse: utrosque enim in animo habebat et in primo membro nominaverat. Certe, si quis ideo, quòd simplicius est, pronomen in secundo membro de cultoribus deorum accipiendum esse censeat, propterea non erit ei necesse, ut, quod nonnullos putasse video, in tertio eosdem significare statuat.

Nam hoc tertium membrum, *non sumo nomina eorum in labiis meis*, procul dubio significat: *eos* non invoco aut celebro per eosve iuro. Videatur Ios. 23: 7. Poëta hîc se facere negat, quod Exod. 23: 13 vetitum legimus: *nomen deorum aliorum ne memoretis, ne audiatur in ore tuo.*

Ad colon 7mum: אֲבָרֵךְ אֶת־יְהוָה אֲשֶׁר יְעָצָנִי אַף־לֵילוֹת יִסְּרוּנִי כִלְיוֹתָי: *Laudo Iehovam, qui consilia mihi dedit: etiam noctibus admonuerunt me renes mei.* Verbum יָעַץ valet vernaculum *raden:* alio sensu hîc accipere non permittit, quod in parallelo membro ei respondet יִסֵּר, quod optime vernaculo *waarschuwen* redditur. Sensus hic est. Saepe, etiam nocturno tempore, intimi quidam animi sensûs, qui eum non sinebant esse securum, de periculis, in quibus ipse nesciens versabatur, admonuerant. Per istos animi sui sensûs divinitus se admoneri statuebat pius poëta, ac propterea hîc laudat Iehovam.

Ad colon 11^{um}: תּוֹדִיעֵנִי אֹרַח חַיִּים שֹׂבַע שְׂמָחוֹת אֶת־פָּנֶיךָ נְעִמוֹת בִּימִינְךָ נֶצַח *Cognitam mihi facies viam vitae, abundantiae gaudiorum in conspectu tuo, voluptatum te duce imperturbatarum.* — בִּימִינְךָ non idem significat atque מִימִינְךָ, *a dexterâ tuâ*, aut לִימִינְךָ *ad dexteram tuam*; licet linguâ vernaculâ eodem modo, atque haec duo, reddendum sit, *aan uwe regterhand.* Atqui praepositio ב in בִּימִינְךָ non solummodo *situm ad* sive *a* dexterâ, sed arctiorem designat *cum* eâ *coniunctionem*, qualis est, ut dialectici et rhetorici dicunt, *adiuncti* cum subiecto. Itaque sensus est: *dexterâ tuâ me tenente et ducente.* נֶצַח, ut proprie quod *purum*, nec turbidum est, significat, ita tanquam adverbium temporis idem valet ac vernaculum *ongestoord.* Sensus verborum simplex hic est: Ostendes mihi, quâ viâ e praesenti periculo salvus evadam; quin viam mihi ostendes, quâ aliquando potiar beatâ illâ, quam mihi destinasti, sorte; viam mihi ostendes *abundantiae gaudiorum in conspectu tuo*, sive *coram te*, id est *ubi te coram intuear*, vel, ut nos diceremus, ubi sacra praesentiae tuae symbola sunt, et iucundo praesentiae tuae sensu perfundar, — viam *voluptatum, dum tua dextera me ducit, adiuvat tueturque, nunquam denuo perturbandarum.*

AD PSALMUM SEPTIMUM DECIMUM.

Ad colon 2^{dum}: מִלְּפָנֶיךָ מִשְׁפָּטִי יֵצֵא. Sensus est: Tuis oculis, tuae cognitioni, tuo iudicio, si subiectum fuerit, ius meum apparebit et ego ius meum obtinebo: nam, ut additur, *tui oculi cernunt recte.*

Ad colon 3^{tium}: בָּחַנְתָּ לִבִּי פָּקַדְתָּ לַּיְלָה צְרַפְתַּנִי בַל־תִּמְצָא זַמֹּתִי בַּל־יַעֲבָר־פִּי׃. In secundo quatuor, quibus hoc colon constat,

articulorum voci לַיְלָה frustra sensum tribuere conati sunt interpretes huic loco convenientem. Suspicor eam corruptam esse et poëtam scripsisse לכלה, quod, sive לְכָלָה (*ad consummationem*), sive לְכַלֵּה (*ad consummare*) pronuntietur, Latinum *penitus* valet. In quarto membro זַמֹּתִי ultimâ syllabâ sublatâ pronuntiare iusserunt Masorethae; hinc autem non colligendum est, eos pro Infinitivo nominali cum annexo pronomine habuisse: nam eodem modo ps. 116: 6 דַּלּוֹתִי ediderunt, quum tamen hoc ibi eos pro primâ personâ Perfecti habuisse, nequeat esse dubium. Eos autem etiam hîc זַמֹּתִי pro Perfecto habuisse, ex eo probabile esse videtur, quod, perinde ut דַּלּוֹתִי in psalmo 116°, tanquam Perfectum translatum legitur in Chaldaicâ interpretatione. Vertimus igitur: *Meditatus sum* (id est *Quod meditatus sum*, aut *Si quid meditatus sum*), *non transit os meum.* Hoc est: Si quid meditatus sum, quod non est probum, id non perficio, sed reprimo. Quod autem pro *non perficio* poëta dicit *non transit os meum*, id hanc habet causam, quòd *meditatio* seu *cogitatio* nihil aliud quàm tacitus, quem homo secum habet, sermo est, qui sic quidem fieri potest, ut soni verborum animo tantùm repraesententur, sed qui tamen saepe, maxime apud homines minùs cultos, ita fit, ut verba in ore quoque formentur, quin et interdum proferantur. In linguâ Hebraeâ pro *cogitare* verbum אָמַר, *dicere*, usurpari, nemo non novit.

Ad colon 4tum: לִפְעֻלּוֹת אָדָם בִּדְבַר שְׂפָתֶיךָ אֲנִי שָׁמַרְתִּי אָרְחוֹת פָּרִיץ׃. — Etiam hîc in priore membro Masorethicam interpretationem et pronuntiationem corrigendam esse censeo, et pro אָדָם efferendum esse אֱלֹם, ut sensus sit: *Ad actiones silens quiesco in effato labiorum tuorum.* פְּעֻלּוֹת, id est *quae aguntur*, cum

verbo ut complementum adverbiale construitur ope praepositionis לְ, valentis *ad*, id est hîc, ut saepe, *spectans ad* sive *respectu ad*. In verbo autem דָּמַם *silendi* et *quiescendi* notiones coniunctae sunt; itaque sensus verborum simplex est hic: *In actionibus*, sive *in agendi ratione*, *non obloquor nec reluctor iussis et praeceptis tuis, sed silens iis acquiesco et obtempero*. — Vide autem, quàm egregie haec prioris membri interpretatio confirmetur sequente: *ego observavi vias ferocis*. פָּרִיץ enim, *ferox*, *violentus*, est homo effrenatus, qui nulli legi obsequens et omnia aequi iustique vincula rumpens et dilacerans, nullâ non utitur vi et violentiâ, ut suas expleat cupiditates. Ego, inquit, observavi vias ferocis, et vidi, quò exirent, qui earum essent exitûs: non insistam eorum vestigiis. *Ipse* quid observaverit, dicit: ideo pronomen ante verbum personale expressum est. — Improbanda est eorum omnium horum verborum interpretatio, qui verbo שָׁמַר hîc significationem tribuunt linguae usui repugnantem.

Ad colon 5tum: תָּמֹךְ אֲשֻׁרַי בְּמַעְגְּלוֹתֶיךָ בַּל־נָמוֹטּוּ פְעָמָי׃. — Masorethas תָּמֹךְ ut Verbum infinitum pronuntiasse, quòd imperandi sensu dictum esse existimarent, e collatione Chaldaïcae translationis apparet. Eodem sensu iam acceperat Graecus interpres Alexandrinus. Perperam istos interpretes ita accepisse, non est dubium, et ex altero membro parallelo manifestum est. Atqui, si interpretationem istam verbi Masorethicam relinquimus, etiam pronuntiatio Masorethica relinquenda est et pronuntiandum תָּמַךְ: nam, quum per se non sit probabile, poëtam hîc infinito verbo pro finito usum esse, illa verbi pronuntiatio non aliam causam habere censenda est praeter isthanc Masorethicam interpretationem. Tum

autem consequens est, ut etiam pro אַשְׁרֵי in singulari אֲשֻׁרִי legatur: nam singularis huius vocabuli forma eodem sensu usurpatur atque pluralis. Ita proprius verborum sensus hic est: *Prehensas tenuit gressus meus orbitas tuas; non vacillarunt passûs mei.* Hoc est: Firmiter viam a te praescriptam tenui; firmo pede in eâ incessi.

Ad colon 7ᵘᵐ: הַפְלֵה חֲסָדֶיךָ מוֹשִׁיעַ חוֹסִים מִמִּתְקוֹמְמִים בִּימִינֶךָ׃. — Hîc in posteriore membro propter vocis sequentis in litteris similitudinem excidisse videtur verbum, et quidem מְנַקְּמָם *ulciscens* sive *vindicans eos*, aut *qui ulcisceris* sive *vindicas eos* ab adversariis dexterâ tuâ. Ita concinnus est membrorum parallelismus, neque opus est, quod valde durum, מִמִּתְקוֹמְמִים et בִּימִינֶךָ cum מוֹשִׁיעַ construere.

Ad colon 10ᵘᵐ: חֶלְבָּמוֹ סָגְרוּ פִּימוֹ דִּבְּרוּ בְגֵאוּת. — Vocabulum פִּימוֹ non cum priore, sed cum posteriore membro iungendum esse, iam monuit Muntinghe, sed ego nunc denuo moneo, quia recentiores interpretes non attendisse video. Vertendum est: *Adipe suo clausum habent os suum, loquuntur superbe.* Adversarii poëtae opulenti et fastuosi homines sunt, qui ore pinguibus genis paene occluso superbe loquuntur, cum fastu et insolentiâ increpantes et minitantes.

Ad colon 11ᵘᵐ: אַשֻּׁרֵנוּ עַתָּה סְבָבוּנִי עֵינֵיהֶם יָשִׁיתוּ לִנְטוֹת בָּאָרֶץ׃. — Masorethae pro נִי in סְבָבוּנִי legere iubent נוּ, ut numerus conveniat cum pronomine in אַשֻּׁרֵנוּ. Recte autem sic, ut Masorethae volunt, legi non valde probabile esse videtur. Etenim poëta quum in antecedentibus, tum in sequentibus de se solo et singulari numero loquitur; et non intelligitur, quomodo fieri potuerit, ut scriba quidam librarius, postquam אשרנו cum pronomine plurali scripsisset, pro eodem pronomine in סבבונו scribere potuerit singulare ני. Accedit,

quod omnes interpretes veteres, excepto Chaldaïcae translationis auctore, cuius vestigia etiam hîc Masorethae sequuti sunt, singulariter reddiderunt. Iidem autem etiam in אשרנו pronomen singulari numero transtulerunt, ut אשרני legisse videantur. Igitur maiori certe auctoritate niteretur is, qui non in סְבָבוּנִי plurale pronomen pro singulari, sed in אַשֻׁרֵנוּ singulare pro plurali rescribendum esse censeret. Atqui etiam hîc, quomodo accidere potuerit, ut scriba quidam librarius, quum ét in antecedentibus, ét in sequentibus singulari numero poëta utatur, pluralem numerum pro singulari scribere potuerit, non intelligitur. Tum aliud quoque est, quod hîc offendit, adverbium עַתָּה, cuius in hac sententiâ maius, quàm istius אַשֻׁרֵנוּ pondus esse videtur, non in principio sententiae collocatum esse. Propterea reputanti mihi, saepe a scribis librariis litteras נו cum ם commutatas fuisse, haud dissimile veri esse videtur, legendum esse אֲשֻׁרֵם, id est *intueor eos*, ut sensus sit: *Intueor eos*, *ut iam circumdederunt me.* — Alterius membri verborum hic sensus est: *figunt oculos suos*, *flectentes* (eos) *per terram;* proprie: *adeo ut flectant* (eos), sive *adeo ut flectantur*, *per terram.* Videt inimicos, qui eum iam circumdederunt, oculos figere et continuò in varias partes flectere, ut faciunt, qui insidiantur praedae, sive quòd occasionem quaerunt eam arripiendi, sive ut caveant, ne evadat. Ideo cum leone insidiante et praedae inhiante comparat hostem suum in colo sequente.

Ad colon 14[um]: מְמְתִים־יָדְךָ יְהוָה מִמְתִים מֵחֶלֶד חֶלְקָם בַּחַיִּים וּצְפִינְךָ תְּמַלֵּא בִטְנָם יִשְׂבְּעוּ בָנִים וְהִנִּיחוּ יִתְרָם לְעוֹלְלֵיהֶם׃. — Tribus primis huius coli verbis contineri articulum, qui ex parallelismo respondeat ultimis coli antecedentis verbis, מֵרָשָׁע חַרְבֶּךָ (libera

animam meam) *ab improbo gladio tuo*, id quidem ad primum adspectum manifestum est; sed vocabulum מְתִים, sive, ut in nonnullis exemplaribus scriptum et a nonnullis interpretibus antiquis pronuntiatum est, מֵתִים, non habet sensum huic loco convenientem. Nam, quod vulgò interpretes statuere video, poëtam hîc vocabulum, *viros* significans, ita posuisse, ut in sequenti demum membro, repetens cum addito complemento vocabulum, declararet, *quales* viros designare vellet, id a consuetudine stili Hebraïci nimium abhorrere videtur. Vocabulum corruptum esse censeo, sed integrum adhuc habuisse in suo exemplari Graecum interpretem Alexandrinum. Hic enim reddidit: *ἀπὸ ἐχθρῶν τῆς χειρός σου.* Ita certe convertere non potuit, quod nunc nos legimus. Non dubito, quin scriptum invenerit ממחים, et hoc מְמֹחִים pronuntiaverit, ut esset participium plurale verbi מָחָה, cui hîc eandem tribuit significationem, quam habet in Aramaeâ linguâ verbum מְחָא, *percutiendi* vel *caedendi*. Nam, perinde ut Dan. 4: 32 verba דִּי־יְמַחֵא בִידֵהּ a Theodotione Graece translata sunt *ὃς ἀντιστήσεται τῇ χειρὶ αὐτοῦ*, sic hîc quoque Alexandrinus interpres מְמֹחִים יָדְךָ proprie significare opinatus est *a percutientibus manum tuam*, hoc autem sic accipiendum esse, ut sensus foret: *a resistentibus*, vel *adversantibus*, *manui tuae*, sive *ab adversariis manûs tuae*, *ἀπὸ ἐχθρῶν τῆς χειρὸς σου.* Jam verò, si ממחים hîc legit antiquus ille interpres, non dubitari potest, quin sic ediderit poëta. Perperam autem interpres vocem sibi interpretatus est pronuntiavitque: proferri debet מְמֵחִים *a pinguibus*, id est *ab opulentis*. Eodem sensu vocabulum מֵחִים legitur Ies. 5: 17. Quasi *pingues*, ut vidimus, inimicos suos iam designaverat poëta colo 10, et pariter in sequentibus huius coli membris

eos describit ut opulentos, qui in abundantiâ omnium vitae bonorum laute vivunt, quorumque ventrem thesauris suis explet Deus. — Facilè ממחים in ממתים mutari potuisse, nemo negabit: nam non tantùm litterarum ח et ת maxima similitudo est eaeque etiam alibi inter se permutatae sunt (conf. Muntinghii *Crit. vet. Foed.* p. 94); sed hîc in primis pronum erat pro ח scribere ת, quia vox ממתים proxime sequitur, ut facilè aliquis opinari potuerit, eandem vocem etiam hîc legendam esse, praesertim si aliquo modo dubia esset litterae ח figura.

Sequens membrum, prout a Masorethis distinctum est, sic vulgò transferunt: *a viris de mundo*, *quorum portio in vitâ est;* idque in hunc interpretantur sensum, ut inimicos suos hîc designet poëta tanquam homines mundanos, rebus huius mundi addictos, qui portionem suam non post mortem demum in aliâ futurâ, sed in *hac* vitâ exspectent et habeant. At enim sic poëtae vitae post mortem futurae notiones tribuuntur, quales priscos Israëlitas non habuisse certissimum est. Hoc quidem non dubitandum esse censeo, vocem מֵחֶלֶד non, ut a Masorethis factum est, cum antecedente, sed cum sequentibus construendam esse, ut in relativâ enuntiatione vice praedicati fungatur, quo poëta, qualis hostium suorum in vitâ portio sit, declarat. Sic verti poterit: *quorum de stabili portio in vita est;* id est, *quorum stabilis vitae sors est*, seu *qui stabilem vitae sortem habent*, vel potiùs *qui pro suâ in vitâ portione res stabiles obtinuerunt.* Existimari possit, hunc sensum duobus ultimis huius coli comprobari membris, in quibus dicitur, eos in tantâ omnium rerum abundantiâ vivere, ut etiam filii eorum saturentur, atque adeo hi relinquant residuum liberis suis.

Atqui verò, his verbis non stabilitas lautae eorum sortis et per plures generationes perennitas, sed copia bonorum, quibus fruantur, et abundantia significatur. Igitur suspicor mendum in eâ voce מֵחֶלֶד esse et rescribendum מֵחֵלֶב, ut sensus antecedentibus et sequentibus aptissimus hic sit: *a viris, quorum de adipe* (seu *de pingui*) *portio in vitâ est.* Vocabulo חֵלֶב, quod proprie *adipem* seu *pingue* alicuius rei significat, *optimum* cuiusque rei denotari, omnibus notum est. Facillime autem litteram ב cum ד confundi potuisse, consentient omnes, qui in palaeographiâ Semiticâ non sunt hospites; et saepius has duas litteras inter se permutatas fuisse, eum, qui nescit, docere potest Muntinghe l. l. p. 89.

Ad colum 15um: אֲנִי בְּצֶדֶק אֶחֱזֶה פָנֶיךָ אֶשְׂבְּעָה בְהָקִיץ תְּמוּנָתֶךָ׃. — Sensus ultimi huius carminis coli manifestus et clarus est ei, qui symbolicam Israëlitici Iehovae cultûs perspectam habet naturam. Loquutio *videre faciem Iehovae* frequentatur de iis, qui sacram Iehovae aedem visitant: conferatur annotatio ad Ies. 1: 12, horum Orientalium vol. 1 p. 73 sq. Non proprio sensu eam accepisse veteres Israëlitas, manifestum quidem est; sed eam tamen prorsus non intelligunt, qui nihil ampliùs eâ significari putant, quam *visitare Iehovam*, seu visitare *sacram aedem*, in quâ invisibile Iehovae numen praesens habitare censeretur. Imo verò aedes sacra, et quae in eâ erant, Israëlitis Iehovae, coelestis numinis isthoc loco in medio populo suo praesentiae *symbola* erant, *adspectabilis* huius praesentiae *imago*, adeo ut, quod crederet Israëlita, Iehovam, deum suum, eo loco singulari modo praesentem adesse, id etiam in istis symbolis oculis suis intueretur. Sic pius Iehovae cultor, aedem sacram visitans, *videbat faciem Iehovae*, et grato iucundoque, quo illa symbolorum

eorum contemplatio animum perfunderet, fruens divinae praesentiae sensu, *satiebatur imagine eius.* — Quod autem addit poëta בְּהָקִיץ, *quum evigilavero*, id, ut iam alii monuerunt, declarat poëtam hoc carmen sub noctem fudisse, vel certe propositum ei fuisse, ut postridie mane aedem sacram visitans suavem illam ex contemplatione eorum divinae praesentiae symbolorum caperet voluptatem et animi in praesenti afflictione consolationem. Poterat autem hanc voluptatem et consolationem ex eâ contemplatione capere; nam *iustus* erat, et in hac iustitiae suae conscientiâ certus quoque erat, sanctissimum numen iustam suam causam vindicaturum esse. Hoc illud בְּצֶדֶק significat.

BEITRÄGE ZUR ÄLTEREN GRAMMATIK

DER

HEBRÄISCHEN SPRACHE,

VON

DR. JOS. DERNBURG.

BEITRÄGE ZUR ÄLTEREN GRAMMATIK

DER

HEBRÄISCHEN SPRACHE.

Wie unbedeutend auch die ersten Anfänge grammatischer und lexicalischer Bestrebungen für die hebräische Sprache sein mögen, wenn man sie nach dem wissenschaftlichen Standpuncte beurtheilt, welchen diese Studien nach Verlauf von so vielen Jahrhunderten erreicht haben; so liegt doch noch in den Schriften der ältesten Schriftsteller auf diesem Gebiete mancher nützliche Stoff verborgen, der noch heute verbraucht werden, und zu mancher aufklärenden Untersuchung veranlassen kann. Wir wollen darum auf den folgenden Seiten, und vielleicht in noch ferneren Beiträgen, dasjenige mittheilen, was uns beim Lesen eines grossen Theiles der alten Sprachlehren und Wörterbücher bemerkenswerth und bedeutsam erschienen ist. An Quellen hat es uns nicht gefehlt, und, wie es gewöhnlich bei dergleichen Forschungen geht, die Resultate sind gering im Verhältnisse zu der Menge der Schriften, welche sie geliefert haben. Es ist uns nämlich sehr viel von den ersten systematischen Bearbeitungen des Hebräischen, so wie von andern darauf bezüg-

lichen Bestrebungen, theils gedruckt, theils in Handschriften, erhalten worden. Man denke blos an die Arabischen Bibelübersetzungen und die anderen Schriften [a] des *R. Saadia Gaon* aus Fajum, an die Schrift des *Juda ben Karisch*, aus welcher Eichhorn Bruchstücke bekannt gemacht hat [b], an das in vielen Bibliotheken vorhandene *Machbereth* des *Menachem ben Seruk*, an die seltene Streitschrift des *Donasch Hallevi ben Librat* [c], und besonders an die zahlreichen Werke des *R. Juda Chiug*, des ersten Grammatikers [d], des *Abulwalid* und des *Abraham ben Esra*. Ein reicher Schatz liegt auch noch gleichsam gebunden in der Massora, welche einer weisen Scheidung bedürfte; doch wer wird sich leicht in diesem Chaos von Erscheinungen wagen, und da eine Sonderung vornehmen wollen? Es gehört unsägliche Geduld und Ausdauer dazu, um aus den vielen Spielereien das Werth-

[a] Sein *Buch der Glaubenslehren* (ספר האמונות) enthält auch manche sprachliche Bemerkung; sein lexicalischer Versuch über 70 Wörter, meist Hapaxlegomena, ist blos merkwürdig, weil es der erste ist, den wir kennen. Seine übrigen grammatischen Schriften, die Abraham ben Esra in seiner Vorrede zum *Maasnajim* anführt, kenne ich nicht.

[b] Bibl. der bibl. Lit. III, 951—980.

[c] Diese Schrift ist im Cod. Hebr. n° 5 der Leidenschen Bibliothek enthalten. Sie ist hebräisch geschrieben, wie die *Machbereth*, gegen welche sie gerichtet ist. Wir haben davon in *Geiger's* Zeitschrift für jüdische Theologie III, 2. S. 278 ff. Nachricht gegeben.

[d] ר' יהודה המדקדק הראשון Abr. b. Esra zu 1 M. 41, 51; Psalm. 102, 27, wo er zwar hinzufügt שהיה בארץ מערב; allein diese Worte sollen nicht bloss sagen, dass er der erste Grammatiker in Magreb gewesen sei, denn Donasch war aus dem Staate Fez. Es soll vielmehr eine einfache Angabe des Landes sein, wo Juda Chiug lebte, während er ihm die Ehre des Namens eines Grammatikers mit Ausschluss seiner Vorgänger zuerkannt. So wird er auch von Anderen אביר הדיקנים genannt.

volle und dem Ernst der Wissenschaft Förderliche herauszufinden. Doch hat man sie bis jetzt allzuwenig gewürdigt, und manches als das Werk der Laune und des Zufalls betrachtet, was auf festen Grundsätzen beruhte. *W. Heidenheim*, der eine seltene Kenntniss dieser ganzen Literatur besass, und mit vielem Scharfsinne hier zu sichten verstand, hat in seinen verschiedenen Schriften[a] Bedeutendes auf diesem Felde geleistet; allein es ist nur einem kleinen Kreise bekannt worden, weil alle seine Arbeiten in hebräischer Sprache abgefasst sind[b]. Und doch sind die verhältniss-

---

[a] Hieher gehören [1]) מפרש, ein grammatischer Commentar zur Bibel, der nur bis an das 45ste Capitel der Genesis geht. [2]) Seine Ausgabe des Pentateuch unter dem Titel עין הקרא Rödelheim, 1819. Heidenheim hat hier die masorethischen Scholien des tüchtigen Punctators *Jekuthiel Hacohen*, der unter dem Namen ר׳ה״ב״י הנקדן bekannt ist, mit eigenen Anmerkungen begleitet. Die letzten Grammatiker, welche dieser Punctator citirt, sind Abr. b. Esra und Salomo Parchon, und er scheint deshalb vor den Kimchi's gelebt zu haben. [3]) *Mischpte Hat'amim* oder Accentlehre nach der Massorah und den ältesten Grammatikern behandelt. Rödelheim 1808.

[b] Leider haben die Juden späterer Zeit sich zu ausschliesslich der thalmudischen Thätigkeit hingegeben, und das sprachlich geleistete beinahe ganz unberücksichtet gelassen. Daher sind uns diejenigen Männer, welche sich für die Ordnung der Punctuation und der Accentuirung die meisten Verdienste erworben zu haben scheinen, nämlich *ben Ascher* und *ben Naphtali*, kaum dem Namen nach bekannt. Ihre Divergenzen (חלופים) sind so wenig verstanden worden, dass bis auf den heutigen Tag darüber die grösste Verwirrung herrscht. Ohne die Hülfe von guten Handschriften wird es schwerlich gelingen, je die am Ende der verschiedenen Ausgaben der rabbinischen Bibeln gedruckten *Chilufim* zu berichtigen. In vielen Beziehungen sind jedoch die Gesetze, welche diese Verschiedenheiten beherrschen, ziemlich klar, und die Ausgaben, deren Besorger die leitenden Gründe nicht kennen, müssen natürlich Widersprechendes vereinigen. — Wir geben hier beispielsweise einige Gesetze. — Bei allen Wörtern mit geschlossener Sylbe bei

mässig geringen Resultate selbst, die hier erhalten werden, bedeutender als alle aus unsern so jungen Handschriften der Bibel gesammelten Varianten; da sie nicht nur auf älteren Quellen beruhen, sondern als durch Schriftsteller bezeugt, uns nicht Gefahr laufen lassen, dass wir Schreibfehler unwissender Soferim für Lesearten nehmen.

---

gedehntem Vocale, welche mit dem folgenden Worte durch Makkeph verbunden sind; als גֵּר־וְתוֹשָׁב (1 M. 23, 4.), שֵׁם־הַמָּקוֹם (ib. 33, 17.), אַלּוּף־קֹרַח (ib. 36, 16.), הֲיֵשׁ־לָכֶם (ib. 44, 19.), לְבֵית־יַעֲקֹב (ib. 46, 27.), פֶּן־תַּעֲשֶׂה (2 M. 23, 11) u. s. w. wird nach ben Ascher kein Metheg, nach ben Naphthali wohl ein solches gesetzt. Jener geht hierbei von dem Grundsatze aus, dass hier, mit Ausnahme der anders bestimmten Fälle (wie z. B. wenn das betonte Wort den Accent auf der ersten Sylbe hat, wo der lange Vocal sich in einen kurzen verwandelt, als: יֶשׁ־לָנוּ (1 M. 44, 20), הֲיֶשׁ־בָּהּ (4 M. 13, 20.) u. s. w.), der lange Vocal sich von selbst versteht, und keiner besondern Anzeige durch Metheg bedarf. (Lesearten, wie בֶּן־שִׁשִּׁי (1 M. 30, 19.), oder הֲיֵשׁ בָּהּ ohne Makkeph und mit Zere, wie sie sich in der Leipziger Stereotypausgabe finden, sind falsch.) — Da die Gelehrten von Tiberias das bewegliche Schwa, wenn ein Jod darauf folgte, wie Chirek lasen, und יִרְמְיָהוּ *Jirmijahu* aussprachen (*Ar. b. Esra* Zachoth ed. Berlin 1, b.), so liess ben Naphtali, wenn dies Jod ein Chirek hatte, bei den Buchstaben בוכל eine Contraction eintreten, und statt וְיִתֵּן wurde וִיתֵּן, st. לְיִרְאָה wurde לִירְאָה, und so überall, punctirt und gelesen. Ben Ascher, der in der Synagoge recepirt ist, und dem darum unsere Ausgaben immer folgen (Ausnahmen, wie בִּיקְּרוֹתֶיךָ Ps. 45, 10. sind selten), lässt nur dann Contraction zu, wenn das folgende Jod auch Schwa haben würde, wie in בִּימִינוֹ = בְּיְמִינוֹ, und auch hier sind noch zwei Ausnahmen mit Mim, nämlich מִיְּשֵׁנֵי Dan. 12, 2. und מִיְּרֻשָּׁתְךָ 2 Chr. 20, 11., während ben Naphthali auch hier das Schwa nebst dem Dagesch wegfallen liess. — Diese Verschiedenheit hat Einfluss auf die Accentuation. Denn der Servus des *Th'bir* ist *Merca,* wenn zwischen den beiden Tonsylben des Accentus conjunctivi und disjunctivi keine Sylbe, wie in שֹׂנֵא הוּא 5 M. 19, 6., oder nur eine offene oder geschlossene Sylbe liegt, wie in שֶׂה תָמִים 2 M. 12, 5. (Viele Ausgaben haben hier fälschlich שֶׂה). Steht aber vor oder nach dieser einen Sylbe ein bewegtes Sch'wa, oder

Hinsichtlich der Form der Buchstaben zeigen eine Menge von Stellen, dass keiner früher aus zwei völlig getrennten Stücken bestand, und dass die zwei bei uns so geschriebenen, das ה und das ק, in früherer Zeit mit der oberen Linie, oder dem *Dache*, zusammenhingen. Für das Kuf finden sich die deutlichsten Beweise bei Abraham ben Esra in seinem Zachoth. Im *Thore der Buchstaben* (שער האותיות) sagt er: »wisse, dass jeder Buchstabe nur eine Form hat, das heisst, zusammenhängt, mit Ausnahme des He, welches aus zwei Formen besteht; es is nämlich ein Strich in der Länge und ein Strich in der Breite u. s. w."[a] Das Kuf hatte also eine zusammenhängende Figur. Weiter unten sagt er vom Kuf selbst: »das Kuf ist wie eine umgekehrte Lamed", was ohne Zweifel heissen soll, dass wie beim Lamed der Strich nach oben, so beim Kuf nach unten geht.[b] — Aber

---

liegen zwei oder mehr Sylben zwischen beiden Tönen, alsdann ist mit geringen von der Massorah verzeichneten Ausnahmen der Servus *Darga*. Dieser Regel gemäss hat die Art, das Jod ja oder nicht zu contrahiren, in 3 Stellen Verschiedenheit der Accentuation zwischen b. A. und b. N. hervorgebracht. Dies sind יִמְנָה וְיִשְׁוָה (1 M. 46, 17. und 1 Chr. 7, 30.) und וּמִיכָאֵל וְיִשְׁפָּה (1 Chr. 8, 16.). An der Accentstelle des ersten Wortes stellt b. A. ein Darga, weil das Wav ein bewegtes Schwa hat; b. N. dagegen ein Merca, weil er וִישְׁוה und וִישְׁפה liest. (Heidenheim Mischpte Hat'amim 27, a. f. En Hakore zu 1 M. 23, 4. 44, 19. 46, 17.).

[a] דע כי כל אות יש לה צורה אחת והטעם שהיא דבקה חוץ מהחא שהיא שתי צורות וגו' S. 13. b.

[b] S. 20, a. והנה כלמד הפוך. Vgl. Rechtsgutachten des R. Simon b. Zemach I, 50. 51. welcher hierauf den Ausspruch gründet, dass eine Thora gesetzmässig geschrieben sei, wenn überall der Strich des Kuf am oberen Theile festhängt. — Die Frage (Thalmud Sabbath 104, a.) מאי טעמא קרעיה דקוף תלויה »warum hängt der Fuss des Kuph?" ist nicht mit *Raschi* z. st. darauf zu beziehen, dass dieses Stück auch oben vom Dache absteht, sondern darauf, dass es unten nicht

auch das He hing zusammen. In Midrasch rabbah (Bereschith § 12.) heisst es: »diese Welt ist mit dem *He* geschaffen; wie das He von allen Seiten geschlossen, und nur von unten offen ist u. s. w." Eine Stelle im Thalmud Jeruschalmi (Megilla 1, § 9.) lautet also: »die Gesetzrollen der Alten hatten kein geschlossenes He und kein geschlossenes Mim." Beide Stellen sprechen deutlich genug von einem zu jener Zeit geschlossenen He.[a]

In Bezug auf die Aussprache des Ajin wird schon bei den Alten ein dreifacher Unterschied berichtet. In einer Stelle des Midrasch Echa (70, a.) wird von dem Einen in dem Worte יעיב (Echa 2, 1.) eine Anspielung auf כיבא (Schmerz), von dem Andern auf חיבא (Schuld) gesucht; und zwar »weil es Orte gebe, wo ע = כ laute, und Orte, wo ע = ח ausgesprochen werde". Anderswo (Berachoth 32, a.) heisst es: »bei R. Elieser b. Jacob wurde Aleph und Ajin gleich gelesen." (Vgl. Sabbath 77, a., wo gefragt wird, ob man גראינין oder גרעינין schreibe, was auf Gleichheit der Aussprache schliessen

---

mit dem anderen Querstriche zusammenstösst. Das Wort תלויה spricht deutlich genug das Festhängen nach oben aus. Vgl. Menachoth 29, b. wo dieselbe Frage für das He vorkomt.

[a] Diese beiden Stellen citirt *Rappoport* Lebensbesch. des Elieser Hakalir Anm. 10. (S. 105) zur Stütze von Gesenius (Gesch. d. hebr. Sp. u. Schrift Anm. 101). Ein Unterschied zwischen He und Cheth muss jedenfalls durch die Schrift bezeichnet worden sein; denn Thalmud Sabbath 103, 6. wird gesprochen von jemanden, der aus Nachlässigkeit diesen Unterschied nicht wahrnimmt, und חיתין היהין היתין חיהין schreibt. Viele Handschriften, die He zusammenhängend schreiben, machen den Unterschied, dass sie den Strich, der das untere Stück mit dem Dache verbindet, beim *He* sehr dünn, dagegen beim *Cheth* nach oben dick ziehen. Der gelehrte Rappoport meint, dass der Strich des He wohl nicht ganz herunter gezogen worden sei. Siehe a. a. O.

lässt.) — Merkwürdig ist das Zeugniss der Alten über die Aussprache des grammatisch schwierigen Wortes שְׁתַּיִם. Wir setzen hier die Stelle aus der Vorrede des Wörterbuches von R. Salomo Parchon her [a]: »In den Worten שתים, שתיהן, שתי war es zu mühsam das Nun auszusprechen, und שנתים zu sagen; was that man? man warf das Nun aus; als man es ausgeworfen hatte, erhielt man einen dageschirten Buchstaben nach Schwa, was sonst nirgends in der Schrift sich findet; was that man ferner? man suchte für die Aussprache einen Hauch vor das Schin des Wortes שתים hinzufügen, und sagte: אֶשְׁתַּיִם, אֶשְׁתֵּי, אֶשְׁתֵּיהֶן, obgleich man diesen Hauch nicht schrieb. So lesen alle Einwohner Palästinas, Egyptens, Africas und Magrebs mit Ausnahme Spaniens; und als R. Juda Hallevi [b] und der Vorbeter Abraham ben Esra nach Africa kamen, und sahen, wie alles אֶשְׁתֵּי las, waren sie erstaunt, und sie forschten darüber nach, bis sie erkannt hatten, dass man so lesen müsse." (Vgl. hiezu besonders Ewald kr. Gram. d. hebr. Sp. S. 90. n. 2.)

Bedeutend sind einige abweichende Punctationsweisen, welche aus unseren Ausgaben und HSS. gänzlich verschwunden zu sein scheinen, sich aber theils durch Abraham b. Esra, theils durch seine Zeitgenossen noch bezeugt finden.— Von dem Worte בת (die Tochter) sagt. A. b. E., dass es im st. absolutus mit Kametz, und im st. constructus mit Pathach punctirt werde [c]. Das Wort ist im st. absol. sehr selten;

---

[a] Die Stelle hat Heidenheim im Mischpte Hat'amim S. 42 aus einer ihm gehörenden Handschrift dieses Wörterbuches mitgetheilt.

[b] Es ist derselbe, welcher als Vfr. des Buches Cosri, und vieler ausgezeichneter religiöser und weltlicher Poesieen bekannt ist.

[c] Zachoth 25, a. וכן משפט בת קמוץ במוכרת ופתוח בסמוך והוא חסר נון
eben so im Mosnajim 16, a. ומלת בת זרה וכו' ואין הפרש בין הסמוך והמוכרת כי אם

aber dennoch ist es unbegreiflich, wie sich dies Kametz bis auf jede Spur verlieren konnte. — Zu Ps. 135, 17. bemerkt Raschi, dass das dort vorkommende אַף, als Conjunction, mit Pathach geschrieben werde, dagegen אָף Ps. 115, 6. als Nomen, mit Kametz [a]. Auch dieses Wort ist ausser Pausa, wo es ohnedies immer Kametz hat, im st. absolutus nur sehr selten.

Viel durchgreifender scheint ein drittes Kametz gewesen zu sein, wofür wir jetzt überall Pathach haben, nämlich ein Kametz im ganzen Präteritum der Verba ע״י. Wenn wir uns in der Erklärung zahlreicher Stellen nicht getäuscht haben, so hat man ohne Zweifel bis auf die Zeit des A. b. E. und seiner nächsten Nachfolger קָמְתִּי, קָמְתָּ u. s. w. gelesen. Mehrere Zeugnisse, die gewissenhaft geprüft worden sind, werden diese Abweichung stützen. — Zuerst mögen hier die Aussagen des A. b. E. ihre Stelle finden. Er sagt Zachoth S. 39, a. כל פועל עבר שאיננו סמוך אל אחר לעולם הפ״א קמוץ בקמץ גדול כי כן באותיות הגרון גם בשניים גם באותיות הכפל אם באו שניהם. »Jedes Zeitwort im Präteritum, welches nicht verbunden ist [b], hat

---

זה בקמץ גדול וזה בפתח גדול. — In unsern Ausgaben hat es dieses Kametz selbst in Pausa nicht 1 M. 30, 21. Das Pathach dieser Stelle ist selbst durch eine Massorah gesichert, die es unter die 12 Stellen im ersten Buche Mosis aufnimmt, welche bei Athnach Pathach haben. s. Heidenheim En Hakore zu 1 M. 10, 10. welcher diese Massorah nach Jehuda ben Bileam anführt.

[a] אַף זה פתח ואָף להם ולא יריחון קמץ. Die Bemerkung war hier an ihrem Orte, weil dieser Theil des Psalmes 135 dem Ps. 115 in anderer Hinsicht gleich ist. — Bemerkenswerth ist, dass in בת, wie in אַף, dieselbe Contraction und Auswerfung des Nun statt findet.

[b] Für den Kenner der grammatischen Sprache des A. b. E. bedarf es keiner Bemerkung, dass das סמוך jede Verbindung, welche das Wort eingeht, sei es mit Praefixen, mit Suffixen, oder mit anderen Wörtern, wie die des Status con-

immer den ersten Wurzelbuchstaben mit Kametz gadol; denn so ist es bei Kehlbuchstaben; so bei Verben mit zwei Buchstaben (ע״ו), so auch bei Verben mit Doppelbuchstaben (ע״ע), wenn beide stehen (wie סָבַבְתִּי, dagegen סַבֹּתִי)." Dieses Kametz bleibt bei den ע״ו, so lange das Wort Mil'el ist; wird es aber durch Wav conversivum Milra, so tritt das Pathach nothwendig an die Stelle des Kametz. So A. b. E. ebds. 33, b., wo er den Beweis des R. Juda Chiug dafür, dass die ע״ו aus drei Wurzelbuchstaben bestehen, aus der Punctation von יָקוּם, mit den Worten entkräftet: וראיתו ממלת יָקוּם איננה ראיה כי הנה אראה לו וְשָׁמַרְתִּי לעתיד לעולם לא סר הנח הנעלם שהוא אחרי השין שאין לו טעם חסרון אות והנה וְקַמְתִּי על בית ירבעם פתוח הקוף והנה סר קמצות מלת קָם וחביריו וכן וְשַׁבְתִּי בשלום. »und sein Beweis vom Worte יָקוּם (welches immer ū hat, und so auf einen wirklichen Wurzelbuchstaben ו zu deuten scheint) ist kein Beweis, denn ich zeige ihm וְשָׁמַרְתִּי in der zukünftigen Zeit (d. i. durch das Wav), bei welchem doch niemals (selbst trotz dem Wav) der verborgene ruhende Buchstabe ausfällt nach dem Schin, obgleich er keinen Grund in einem fehlenden Buchstaben hat; wogegen וְקַמְתִּי (Amos 7, 9.) mit einem Pathach unter dem Kuf, indem die Kamezpunctation der Worte קָם und seiner Genossen (durch das Wav) wegfiel; ebenso וְשַׁבְתִּי (1 M. 28, 21.)." Ebenso im Buche Mosnajim 42, a. והנה ראית כי מלת קָם שני אותיות עיקרה עם נעלם אמצעי פעם ימצא ופעם יפול כמו קָם וְשַׁבְתִּי בשלום והנה קָמְתֶּם. »du hast gesehen, dass das Wort קָם zur Wurzel zwei Buchstaben hat mit einem Verborgenen in der Mitte, welcher bald sich findet, bald wegfällt, wie

---

structus bezeichnet. Vgl. Mosnajim 25 b. ff. — Ueberhaupt entspricht es dem arabischen مُضَافٌ, so wie סמיכות dem إِضَافَةٌ in allen Bedeutungen.

וְשַׁבְתִּי (1 M. 28, 21) und קָמתם (4 M. 34, 14.)." Aus der eben angeführten Stelle haben wir bereits gesehen, dass das Stehen des נח נעלם in nichts anderem, als dem langen Vocale besteht. Endlich spricht sich unser Grammatiker am deutlichsten aus Mosnajim 9, a. ידע כי הפעלים שהעין שלהם נח נעלם כולם קמוצים כמו קָם שָׁב ואם היו הפעלים מבעלי הכפל שהעין והלמד שוים יהיה פתח יען רַךְ לבבך גם יפול הקמץ בפעלים העתידים מן הפעלים שהעין שלהם איננו שלם בהכנס הואו על פועל עבר וישוב עתיד כמו וְשַׁבְתִּי וְקַמְתִּי וזה הכלל בכל מלה שהיא מאלה הפעלים והיא מלרע לעולם פתח אם יהיה בסמיכות. »Wisse, dass die Zeitwörter עו alle Kametz haben, wie קָם, שָׁב, dagegen die Zeitwörter עע mit Pathach sind, z. B. רַךְ (2 Kön. 22, 19.); ferner fällt das Kametz aus in der zukünftigen Zeit der Verba עו, d. h. wenn das Wav zum Perfectum tritt, dass es Futurum wird, z. B. וְקַמתי, וְשַׁבתי. Ueberhaupt gilt die Regel bei jedem Worte dieser Zeitwörter, wenn der Ton auf der letzten Sylbe ist, dass es Pathach haben muss; d. i. wenn es verbunden ist." — Der Zeitgenosse des Abraham ben Esra, Juda Hallevi, rechnet in seinem Buche Cosri zu den Vortheilen der genauen Punctation des Hebräischen und der Sonderung des Kametz vom Pathach, dass es hierdurch möglich wird, »zwischen Perfectum und Futurum zu unterscheiden, wie bei שָׁמתי, וְשַׁמתי, und וָאברכהו (1 M. 27, 33.), וַאברכהו (Jes. 51, 2. vgl. A. b. E. im Commentare zu 1 M. 27, 33.), zwischen Adjectiv und Verbum, wie חָכָם und חכַם, zwischen dem Frage=he und dem He des Artikels, indem das Erstere auch vor den Kehlbuchstaben Pathach behält, während bei diesem alsdann Kametz an die Stelle des Pathach tritt[a]. — Salomo Parchon

[a] Die Stelle findet sich II, 80. und lautet im Hebräischen: התועלות היוצאות מההפרש אשר בין הקמץ והפתח ובין הצרי והסגול ותועלותם בענינים להבדיל בין העובר והעתיד בהם כמו שָׁמתי ושַׁמתי וכמו וַאברכהו וָאברכהו ויבדיל בין

erzählt noch in der Vorrede zu seinem Wörterbuche, dass Juda Hallevi vor seinem Tode Reue empfunden habe, dass er die hebräische Sprache nach Weise der Araber zu metrischen Gedichten benutzt; weil der Dichter seinem Versmaasse folgend, שַׁמְתִּי an die Stelle von שָׂמְתִּי setzt. [a] — Der nach diesem lebende *Moses Punctator* [b] ist der letzte Zeuge, welchen wir für diese Erscheinung aufführen können. Dieser stellt die Regel hin, dass das Ende jedes Zeitwortes (סוֹף פעולה) Pathach habe, wenn bei seiner Verbindung mit den Suffixen ein ruhendes Schwa oder Dagesch eintritt, wie: שִׁמַּרְתִּי, גִבַּהְתִּי, חֲמּוֹתִי; dagegen עָשָׂה, קָרָא, weil mit dem Suffixen עָשִׂיתִי, קָרָאתִי. Darauf fährt er fort: »eine Ausnahme von dieser Regel machen die zweibuchstabigen Zeitwörter, welche ע״ו heissen, wie שָׁב, קָם, רָץ u. s. w., obgleich hier mit Suffixen eintritt קמתי, שבתי;

פעל לתואר כמו חכם וחָכָם ובין הא השאלה והא הידיעה כמו הָעולה היא למעלה
Der letzte Vers findet sich Koheleth 3, 21. s. A. b. E. z. st.

[a] Cosri II, 79 kann zur Erklärung dieser aus Mischpte Hat'amim 43, b. genommenen Stelle dienen. Man bemerke hier nur, dass die hebr. Sprache durch ihr Accentuationssystem Tonlängen, und Vocallängen kennt, wogegen die arabische Metrik blos die offene Silbe ohne Vocalbuchstaben als kurz, alle anderen aber als gleich lang betrachtet. So ist nach arabischer Messung שַׁמְתִּי und שָׂמְתִּי jedesmal 2 Längen, nach hebräischer jenes ungefähr durch ⏑ ⁄, und dieses durch ⁄ — zu bezeichnen. — Juda Levi's Poesieen selbst, von denen erst jüngst Prof. Luzzato in Padua einige herrliche Proben bekannt gemacht hat, sind wie die Poesieen der meisten arabischen Juden Tawil; da aber im hebräischen eine nach arabischer Messung kurze Vocalsylbe im Stamme durch den Accent zur Länge wird, war man für die Kürzen auf die Buchstaben mit bewegtem Sch'wa verwiesen.

[b] משה הנקדן, von dessen grammatisch-masorethischer Schrift ein Fragment am Ende der rabbinischen Bibel, und ein Bruchstück als Glosse um die Maarecheth der Massora gedruckt ist. Er citirt keinen späteren als ben Esra und Salomo Parchon, und gibt sich hiermit als Zeitgenosse des oben (S. 101 Anm. a.) genannten יהבי הנקדן.

der Grund hiervon ist, weil hier überall der zweite Wurzelbuchstabe verborgen ist, und das Kametz den Buchstaben ersetzen soll, denn voll müsste es heissen קים, שיב." [a] — Bei *Kimchi* ist dies Kametz völlig verschwunden, und seitdem hat man nicht darauf aufmerksam gemacht. Wir bekennen selbst, dass wir dies plötzliche Vergessen einer so weit verbreiteten Spracherscheinung nicht begreifen, und wir wünschen, dass diejenigen, welche die angeführten Stellen anders zu erklären vermögen, sich öffentlich darüber aussprächen.

Nur noch eine Erscheinung, welche nur deshalb ihre Erklärung noch nicht gefunden hat, weil sie nicht im Zusammenhang mit anderen verwandten masorethischen Bemerkungen gebracht worden ist, möge hier erwähnt werden. Sehr bekannt, und in allen Grammatiken aufgenommen sind die vier mit Dagesch versehenen Aleph. (ד' אלפין דגושין 1 M. 43, 26. 3 M. 23, 17. Esra 8, 18. Job. 33, 21.). Man hat aber sehr frühe ein fünftes aus dem Auge verloren, welches A. b. Esra noch bezeugt, nämlich ein Dagesch im Aleph von תתראו (1 M. 42, 1.) [b]; und doch harmonirt dieses Dagesch sowohl

---

[a] Glosse der Maarecheth fol. 2, a. — Vielleicht ist am Ende קום, שוב an d. Stelle von קים u. שיב zu lesen. Die Stelle würde allerdings allein nichts beweisen, weil sich die Bemerkung auf die 3te Person allein beschränken könnte. Aber mit den Andern verbunden, zeigt sich, wie wir meinen, der Sinn deutlich so, wie wir ihn gegeben haben. Ueberhaupt wäre es immer sonderbar, wenn in den Personen selbst ein Unterschied statt fände, dass keiner der genannten Grammatiker ihn anführt; vielmehr alle, um eine Abweichung zu geben, zum Form mit Wav greifen. Es versteht sich von selbst, dass überall, wo wir in den citirten Stellen die 1ste oder 2te Person mit Kametz punctirt haben, diese Punctation von uns herrührt, während in den Ausg. die Stellen nicht verstanden worden.

[b] Zachoth 16, a. כי הנה יש אלף דגוש למה תתראו, תביאו לחם תנופה, ושפן עצמותיו לא ראו. Ob das Resch in תתראו, so lange man das Dagesch setzte,

mit dem in רָאּוּ (Job. 33, 21.), da diese zwei Beispiele die einzigen Stellen sind, wo überhaupt eine verstärkte Form (Piel, Pual, Hithpael) vom Zeitworte ראה vorkommt. — Die drei übrigen Beispiele vom Stamme בוא haben ebenfalls eine gemeinschaftliche Eigenthümlichkeit, welche sie von allen anderen wesentlich unterscheidet. Nur in diesen Stellen steht die Sylbe אּוּ nach ruhendem Jod zwischen zwei betonten Sylben eingezwängt, von welchen die erste sogar einen Servus hat, also um so rascher zur folgenden Tonsylbe hineilt. Es sind: וַיָּבִיאּוּ לָנוּ, תָּבִיאּוּ לֶחֶם, וַיָּבִיאּוּ לוֹ. Gerade hier konnte das א am leichtesten zwischen den beiden Sylben in der Aussprache verschwinden, und *ju* gelesen werden; weshalb man es für nöthig hielt, durch das Dagesch im Aleph den Buchstaben zu heben [a]. Fassen wir nun wieder alle fünf

---

consequent auch Pathach an der Stelle des Kametz hatte, wie merklich רְאּוּ anstatt רֹאּוּ gelesen wird, konnte ich nicht ermitteln. — Der Verf. des En Hakore gibt zur Stelle 1 M. 42, 1. die Glosse: תתרְאו כך ברובם ונפלא בעיני ובמקצתם תתראְו וטוב בעיני. In wiefern diese Variation mit der angeführten zusammenhängt, sehe ich noch nicht ein. — Das ברובם und במקצתם bezieht sich auf 6 vorzügliche Handschriften, die er seiner Vorrede nach bei Abfassung seiner Glossen benutzte.

[a] Der Punct wäre demnach eine Art von Mappik, als welches er auch von manchen neueren Grammatikern genommen worden ist. Dass man geneigt war, in ähnlichen Formen die schwachen Buchstaben in Jod erweichen zu lassen, zeigen die Beispiele von לה, als חָסָיוּ בוֹ (5 M. 32, 37.), נָטָיוּ (Ps. 73, 2.), יִשְׁלָיוּ (ib. 122, 6. Job. 12, 6.) u. v. a. bei Ges. L. G. d. hebr. Sp. p. 429. — Gerade entgegengesetzter Ansicht ist Ewald (Kr. Gram. S. 119. n. 2.), welcher meint, es sei *ju* zu lesen. Die Weise der Masorethen bei ähnlichen Erscheinungen stützt aber völlig unsere Meinung. — Die nomina propria wurden bei den Hebräern, wie allenthalben, gerne verkürzt; so schrieb man manchmal, und sprach wahrscheinlich immer אֵלִיָּה st. אֵלִיָּהוּ, יְשַׁעְיָה st. יְשַׁעְיָהוּ; so liest man יִשָּׂכָר st. יִשָּׂשכָר. Besonders war man zu solchen Verkürzungen geneigt, wenn der zu verschluckende

Beispiele zusammen, so ist in den beiden Stämmen בוא und ראה neben dem Aleph noch ein anderer schwacher Buchstabe im Stamme; um seiner Verflachung nun vorzubeugen, hat man ihm eine mehr als gewöhnliche Kraft, und vollkommen die Natur eines Consonanten gegeben [a]. Eine passende Analogie zu dieser Weise der Masorethen, durch ein Zeichen grösserer Festigkeit einen Wurzelbuchstaben kenntlich zu machen, ist das Metheg unter den Jod von יְשְׁנוּ (Sprw. 4, 16.), weil es von ישן kommt, und von demselben Worte Job. 29, 22. unterschieden werden soll, dessen Wurzel שׁנה ist; ebenso ist gegen die gewöhnliche Regel das Jod in מִיְּשֵׁנֵי (Dan. 12, 2.) ohne Contraction geblieben (s. oben S. 102 Anm. b.).

Buchstabe ein Aleph ist. So überall ישמעאל st. יִשְׁמְעֵאל, und selbst לישמעלי, wo das Aleph ganz wegfiel. Nach einem andern mit Schwa versehenen Buchstaben ist diese Contraction noch natürlicher, und in der That fand Heidenheim in einem sehr trefflichen Codex לָראֻבֵנִי (5 M. 3, 16.) und הָראֻבֵנִי (4 M. 26, 7.), wo also *R'ū* in *Ru* zusammengezogen, und dies durch den Raphestrich über Aleph, gerade im Gegensatze zu dem Dagesch in unseren Stellen, angedeutet worden ist. Ein anderes noch näher liegendes Beispiel ist endlich דָנִיֵּאל, wo man zur Andeutung der kurzen Aussprache Dagesch in Jod, und Zere unter dasselbe gesetzt hat. Nach Ewald wäre nun zu erwarten gewesen, dass in יביאו das Jod ein Dagesch, oder das Aleph einen Raphestrich hätte.

[a] Im Arabischen ist wirklich in der verkürzten Form auch das Elif von رأى weggefallen, und لم يَر entstanden.

COMMENTATIO

DE VERSIONE

ARABICO-SAMARITANÂ, ET DE SCHOLIIS,

QUAE


CODICIBUS PARISIENSIBUS

N. 2 ET 4

ADSCRIPTA SUNT:

AUCTORE

Theod. Guil. Joh. JUYNBOLL.



COMMENTATIO

DE VERSIONE

ARABICO-SAMARITANÂ, ET DE SCHOLIIS,

QUAE

CODICIBUS PARISIENSIBUS

N. 2 ET 4

ADSCRIPTA SUNT.

Paranti mihi editionem libri Josuae, qui dicitur, sive Chronici Samaritani, quod Codice continetur Josephi Justi Scaligeri (Bibl. Leid. n. 249, catal. p. 481 n. 1781), operae pretium esse videbatur, si in locos Pentateuchi, in eo Chronico passim laudatos, diligentius inquirerem, tum quoniam hi non *Hebraïce*, ut in Chronico 'Abū-'l-fathi alibique, ac vulgo in *Epistolis*, in Europam missis, sed *Arabice* traduntur, adeoque videndum est, utrum auctor hos *ipse* interpretatus sit, an *ex versione*, et *quânam* desumserit, tum quia haec aliquid conferre videbantur ad aetatem ejus Chronici definiendam.

Illos igitur locos cum Sa'adianâ et Arabico-Samaritanâ versione contuli, in *illâ* conferendâ *Bibliis* usus *Polygl. Lond.*, in *hac* vero Codice Leidensi, de quo exposuit van Vloten in *Specim. Philol. cont. descript. Cod. MS. Bibl. L. B.*, L. B. 1803, 4°. Quâ opportunitate quum vidissem iis locis cum versione Arabico-Samaritanâ arctam intercedere necessitudinem, quid de ejusdem *auctore*, atque versionis *ingenio*

et *historiâ*, *scholiisque*, in Codicibus Parisiensibus n. 2 et 4 obviis, statuendum esset, deditâ operâ exploravi.

Prolegomenis, Chronici illius editioni praemittendis, hanc disquisitionem primum inserere decreveram; sed animadvertens in longius eam excrevisse, eumque locum minus aptum esse huic quaestioni fusius exponendae, illam separatim edere malui, sperans fore, ut sic universa de Arabico-Samaritanâ versione quaestio quodammodo illustretur.

Pentateuchus *Hebraeo-Samaritanus* ter versus est: primum in *vernaculam Samaritanorum linguam;* deinde *Graece*, postea *Arabice.* Priores versiones a *quonam* et *quando* conscriptae sint, certo dici nequit. Ferunt Samaritani, versionem *Chaldaeo-Samaritanam*, ut prima vocari solet, *Nathanaëlem* auctorem habuisse; quod si verum est, nondum tamen liquet, uter eo nomine designetur, Pontifex, in c. 48 Chronici Scaligerani commemoratus, an, quod verosimilius est (ut alios omittam, idem nomen gerentes in Pontificum Catalogo, quem exhibuit Ed. Bernard. in *Actis Erud. Lips.* anni 1691 p. 172 seq.), alter Nathanaël, item Pontifex, vir clarus, qui 20 circiter annis ante Christum natum obiisse dicitur (vid. H. E. G. Paulus *Neues Repert. für bibl. und morgenl. Litt.* I. p. 148 et 150).

Hoc tantum constat, eam versionem jam diu usu tritam fuisse seculo 2° post Christ., quo circiter tempore vernacula ea versio, in *Aegypto* fortasse, *Graece* reddita est. A Patribus 3[i] et 4[i] seculi haec nomine *τοῦ Σαμαρείτου* aliquando citatur [a].

[a] Conf. Gesenius *de Pentat. Samarit.*, Hal. 1815. 4°, p. 18 seqq.; Winer *de versionis Pent. Samarit. indole*, Lips. 1817. 8°, p. 8—10.

De versione *Arabico-Samaritanâ*, de quâ hîc praesertim nobis agendum est, egregie egit de Sacy, primum *latine* in J. G. Eichhornii *Allgem. Biblioth. der bibl. Litt.* 1800, X. p. 1—176; deinde *gallice*, anno 1808, in *Mémoires de l'Acad. des Inscr. et belles Lettres*, Tom. XLIX. p. 1—199, ubi priorem illam latinam dissertationem emendatam et multis auctam iterum edidit.

Quae a Sacyo ibi dicta sunt, sequens disputatio aut confirmet, aut illustret et emendet. Primum videamus de *auctore*.

Auctor versionis *'Abū-Sa'īd* (ابو سعيد) non confundendus est cum *patre* Commentatoris مهذّب الدين يوسف بن ابي سعيد بن خلف, cujus mentionem fecerunt van Vloten (Spec. laud. p. 9, 10, coll. p. 25 seq.) et de Sacy (*Mém.* l. l. p. 23, 47, 49 seqq.), quique anno Hidjr. 624 (1226-1227) mortuus est. Etenim non *aetas* tantum differt, sed etiam *genus*. *Hujus* pater nempe dicitur خلف, pater vero interpretis Pentateuchi in Cod. Paris. n. 4: ابو الحُسَيْن ابن ابي سعيد (Mém. l. l. p. 52 seq.).

Interpres autem *quando* vixerit, nondum accurate demonstratum est. Le Long (*Bibl. Sacr.*, p. 541 et 592), quamvis nullum ad suam sententiam probandam argumentum attulerit, vere tamen statuisse videtur, eum anno circiter 1070 post C. N. eam versionem conscripsisse. Quod ut probaret Sacyus, hic argumentum duxit ex praefatione, quae Codd. Pariss. n. 2 et 4 praefixa est. Samaritani (sic ille contendit *Mém.* l. l. p. 63, coll. p. 56), ut liquet ex diserto hujus praefationis testimonio, olim utebantur versione Sa'adiae, inter eos introductâ auctoritate 'Abū-'l-Hasani Tyrii, viri nobilissimi, qui, quoniam locos Pentateuchi Samaritani, a

Pentateucho Judaïco dissentientes, textui Samaritano verosimiliter accommodaverat, ipse a nonnullis versionis Sa'adianae auctor habebatur. Ad hanc igitur versionem eamque traditionem inter Samaritanos propagandam necesse erat, ut *seculi* saltem intervallum post Sa'adia*m* intercederet, mortuum quippe anno post C. N. 942.

Haec ille. Facile licet assentiens iis, quae de eo, quod 'Abū-'l-Hasan egerit, dicta sunt, hocce tamen argumentum equidem potius seponam. Etenim, si vera sint, quae de hac *praefatione*, et de *usu* versionis Sa'adianae, *post paratam versionem Arabico-Samaritanam, per longum tempus inter Samaritanos perdurante*, mox dicenda sunt, hocce argumentum ut multum infringatur, necesse est. Verum alterum, ex Codice Barberino, versionem Arabico-Samaritanam exhibente, petitum (*Allgem. Bibl.* X. p. 16; *Mém.* p. 5, 51 seqq.) eo lubentius arripio. Ex eo Codice nimirum novimus, hanc versionem jam dudum exstitisse anno Hidjr. 624 (1226—1227), quo pars ejus Codicis conscripta est. Namque textus, in eo obvius, a textu aliorum Codicum passim tam diversus est, ut post usum demum frequentem et diuturnum is sic immutari et corrumpi potuerit.

Huic argumento, quo aliis persuadeatur, 'Abū-Sa'īd*um* anno 1070 versionem suam conscripsisse, multum deësse sentio. Quod vero nunc desideratur, in sequenti disputatione ex animadversionibus de *scholiis*, *ineunte sec.* 13°, *sive* 12° *exeunte*, *ab alio exaratis*, *et de novâ emendatâque ipsius versionis recensione*, *ab eodem Scholiastâ haud ita multo post paratâ*, quodammodo supplebitur.

Quaeritur porro, *ubi* et *quibusnam* haec versio scripta sit. Iis sine dubio, qui *Arabicam* linguam melius quam *Hebraïcam*

callerent. Non igitur *Sichemitis* adeo, ut Hamakerus acute observavit (*Samarit. Briefwisseling*, p. 20 seq.). Ex epistolis enim, ab iis ab anno 1589 conscriptis, apparet, *Sichemitas* dialecto uti, quae, quamvis non ab omni parte conveniat cum sermone Pentateuchi Hebraeo-Samaritani, sive Chaldaeo-Samaritani, talis tamen est, ut qui illâ scribit, hos quoque intelligat. Quae causa est, quare versio Arabica *magnam* auctoritatem *in Palaestinâ* numquam nacta sit, et textus Hebraeo-Samaritanus in iis epistolis, sive Arabice, sive Hebraïce, semper citetur.

Ac revera verosimillimum est, Samaritanos *Aegyptiacos* hac versione *primum* usos fuisse, quorum commodis ut serviret ʾAbū-Saʿīd, exemplo Saʿadiae *Aegyptii* incitatus, eam interpretationem susceperit. Magnopere enim se commendat Sacyi conjectura, eum quoque *Aegyptium* fuisse (Mém. p. 61 seqq.): quam probare conatur (Mém. p. 79 – 83) ex usu vocum رَتّ et رَتَّة, quarum illa sensu quidem *principis* et *porci*, haec vero, certe رُتّة, sensu *vitii loquelae* frequentatur; non vero sensu *vituli* sive *juvenci*, ut v. c. Lev. 4, Num. 23: 2, 4, et haud raro etiam in versione Saʿadianâ, ubi voc. رت, quemadmodum in Arabico-Samaritanâ utrumque illud vocabulum, Hebraïcum פַּר reddit; quam ab causam non temere statuitur, Saʿadia*m* et ʾAbū-Saʿīd*um* usum loquendi Aegyptiacum observasse.

Accedunt, credo, alia argumenta, ex scholiis, quae Codicibus Pariss. n. 2 et 4 adscripta sunt, petita, *ponderum* v. c. *mensurarumque* vocabulorum et formularum explicationes, de quibus mox dicendum est, ubi de scholiis iis agemus.

In eâ versione conscribendâ ʾAbū-Saʿīd 1) in subsidium vocavit textum *Hebraeo-Samaritanum* (cf. v. c. Gen. 1: 16, 26, 27;

2: 5, et Sacy *Mém.* p. 94 seqq.); 2) versionem *Chaldaeo-Samaritanam* (cf. Gen. 2: 10; 3: 22; 5: 24; 6: 2, 4, 3, 6, 7; 7: 16; 8: 21; Exod. 4: 24, et Sacy *Allgem. Biblioth.* X. p. 72 seqq., *Mém.* p. 84 seqq.); 3) versionem *Sa'adiae* (cf. Gen. 2: 11—14; 4: 15; 8: 21; 37: 25; 47: 4; 49: 4; 50: 10, 11; Sacy *Allgem. Biblioth.* l. l. p. 58 seqq., *Mém.* p. 65 seqq.). Hanc, ubi nullus inter Samaritanum et Judaïcum textum erat dissensus, plerumque retinuit, eam aut *presse*, aut *summatim* secutus, verbis tantum vel constructione quodammodo immutatis. Ubi vero a Pentateucho Judaïco differebat textus Hebraeo-Samaritanus (cf. Sacy *Mém.* p. 114 seq., 116 seqq.), hunc vertit; ac versionem Samaritanam consuluit, ubicunque aliqua in eo interpretando vel intelligendo difficultas superesset.

Quum has leges sibi praescripserit, quodnam sit versionis *ingenium*, sive quisnam *character*, indagari meretur. Quod tamen, si recte fiat, ob multorum locorum corruptionem non facile esse, probe perspicio: quin lubens fateor, fieri posse aliquando, ut loci citentur, qui in 'Abū-Sa'īdī versione primum aliâ ratione enuntiati fuerint.

1) igitur lectiones, Codici Samaritano proprias, verbotenus enuntiavit. Exempli loco hîc sit Num. 21: 11, 12, 20, 22, 23, 24 et 35, qui versus in versione 'Abū-Sa'īdī, in textu Hebraeo-Samaritano et in versione Samaritanâ, mirum in modum aucti sunt ex Deut. 2 et 3.

Num. 21: 11 وقال — عر مورثا ex Deut. 2: 9 desumta sunt.
» » 12 وخاطب الله — مورثا ex Deut. 2: 19.
» » 20 وقال الله — من قبلك » 2: 24 et 25.
» » 22. 1) بسلام قولا » 2: 26.
2) لا اعدل يمنة او يسرة » 2: 27.
3) طعام — فى عر » 2: 28, 29.

Num. 21: 23 وقال — ارضه ex Deut. 2: 31.
» » 24 وبنيه وكل قومه » 2: 33.
» » 35 omittuntur verba *et filios ejus*, quae etiam omittuntur in loco parallelo Deut. 3: 3.

2) ut *Paraphrastae Chaldaici* pro *nomine divino* usi sunt crebro vocibus מֵימְרָא דַיְיָ *verbi divini*, et *Hebraeo-Samaritanus* pro vocabulo אלהים Num. 22: 20; 23: 4, 5 et 16, alibi, substituit מלאך אלהים, sive מלאך יהוה, ita variis modis Abū-Saʿīd omnia evitavit, quae aliquam in Deo *anthropomorphismi* vel *anthropopathismi* speciem referebant, aut *majestati divinae non satis adaptata* esse videbantur. Itaque Gen. 5: 24; Exod. 4: 24 et 3: 6, 8; Num. 22: 9, 10, 12, 20; 23: 3, 4, 5, 16, pro *Dei* nomine scripsit *Legatum* s. *Angelum Dei*. Exod. 3: 18 pro *descendi* (quod Deus dicitur dixisse), *Legatus meus descendit*. Exod. 4: 16 אלהים redditur سلطان; vs. 20 pro מַטֵּה אלהים, عصا القدرة; 4: 22 Deus dicit: *Israël est* בְּנִי בְכֹרִי, *filius meus primogenitus*, quibus respondent vocabula شعبى خاصّى, *populus meus dilectus*, uti etiam vs. 23 אֶת־בְּנִי = شعبى. Porro Exod. 3: 18 verba *Deus obvius factus est nobis* (נִקְרָה עָלֵינוּ), in Hebr.-Sam. enuntiata נקרא, et in vers. Sam. reddita מתקרי עלינן (*invocatus est de nobis*), Arabice vertuntur تسمّى بسببنا, *invocatus est de causâ nostrâ;* cum quo loco cf. Deut. 28: 10, ubi Hebraica שם יהוה נקרא עליך ab Abū-Saʿīdo redduntur الله تسمّى بسببك. Conff. praeterea Gen. 1: 26; Exod. 19: 11, 17, 18, 20, et 24: 10, 11; quos locos explicuit Sacy *Mém.* p. 67, 88, 95.

3) *Judaeorum* et *Samaritanorum* more noster, Hebr.-Samaritanum textum secutus, *euphemismis utitur* in iis, quae ipsi duriora et obscoena videbantur, reddendis: v. c., Exod. 22: 31 *carnem animalis in viâ trucidati canibus projicietis;*

Hebr.-Samarit. השלך תשליכון אתו, id est: *illam projicietis;* ·Abū-Saʿid, cum eo et vers. Samarit. consentiens, secundum Cod. Leid. القاء تلقوه.

Deut. 25: 11 במבשיו *in pudendis ejus* (de *muliere* haec corripiente); Hebr.-Samarit. בבשרו *in carne ejus;* ʿAbū-Saʿīd cum eo et vers. Sam. sec. Cod. L. ببَشَره.

Deut. 27: 21 *Maledictus sit* שֹׁכֵב עִם־כָּל־בְּהֵמָה — Hebr.-Sam. et vers. Sam. ambiguum vocabulum שכב tenent; sed ·Abū-Saʿīd sec. Cod. L. ملعون المنجع مع اية بهيمة *maledictus is, qui decumbit a latere cum quovis animali.*

4) summam *Mosis* et *tribus Leviticae* commonstrat *reverentiam*, *invidiam* vero *tribûs Judaicae*. *Moses* v. c., ubi vocatur אִישׁ, dicitur الرسول; et شلة Gen. 49: 10 servatur quidem, sed de *Salomone*, cujus *impietas* perstringitur in scholio quodam, Samaritanorum opiniones referente, explicatur. Vid. Gesen. *de Pent. Samarit.* p. 60, alios locos praeterea afferens.

5) in *nominibus propriis* reddendis vulgo sequitur orthographiam Hebraïcam, ut Gen. 11: 24 שלח = شلح; vs. 25 פֶּלֶג = فلج; vs. 28 et 31 אוּר = أور, ubi Saʿad. اتون *fornax;* Exod. 12: 37 רַעְמְסֵס = رامسيس, Saʿad. عين الشمس; Num. 21—24 בלק et בלעם = بلق et بلعام.

Interdum illa ut *appellativa* vertit, ut Num. 21: 3 חָרְמָה = اصطلام *exstirpatio;* 21: 19 נַחֲלִיאֵל = وادى القادر, et בָּמוֹת = البيع *delubra;* 21: 20 et 23: 14 ראשׁ הַפִּסְגָּה = راس الكدية *vertex terrae durae.*

Saepe tamen nominibus *antiquioribus recentiora*, ut in Chronico Scaligeri vulgo observatur, substituit: אַרְנוֹן, v. c., Num. 21 et 22 dicitur وادى الموجب; אַשּׁוּר Num. 24: 22, موصل; et גִּלְעָד v. c. Gen. 37: 25 cum Saʿadia الجَرَش, quod nomen est urbis in tractu Jordanis.

Gen. 8: 4 אֲרָרָט, quod Hebr.-Sam. retinuit, et Sa'ad. cum Syro aliisque interpretatus est قردو, 'Abū-Sa'īd, secutus *versionem Samarit.*, fabulam referentem, inter Arabes deinde servatam, reddidit سرنديب, id est *Ceylon.*

6) ceteroquin dicendi ratio 'Abū-Sa'īd*i* *idiotismos* refert *linguae vulgaris* Arabum, v. c. Gen. 1: 6 verba: ויהי מבדיל בין מים למים vertit: مميّزا بين ماء وماء (sive potius ويكون) ليكون, pro quibus Arabs dixisset: ليكون مميّزا ماء من ماء. Quia autem presse vulgo sequitur textum Samaritanum, ipsius versio *Hebraismis* s. *Samaritanismis* scatet, cujusmodi sunt v. c. نخلة = נחלה, Num. 34: 2; مرح = מרח, Deut. 32: 15 cet.

Conf. de hac versione praeter Sacy. *Mém.* p. 67 seqq. et Gesen. l. l. p. 20, 59—61, Adler *Bibl. Krit. Reise*, p. 154—157, van Vloten *Spec. Philol.* p. 71, Eichh. *Einl. in das A. T.* II p. 264—279.

De *Codicibus* hujus versionis praeter Vlotenum (p. 20 seqq.) aliosque accuratissime egit Sacyus, praesertim in *Mém.* p. 3 seqq. et 105 seqq. *Codices*, quia in sequentibus saepe de eorum nonnullis sermo fiet, enumeremus, *notiores* tamen tantum indicantes, de uno vero *minus noto* uberius dicturi.

Primus sit Cod. Barberinus, olim *Peireskii*. *Duo* servantur in Bibliothecâ Bodlejanâ, alter olim *Usserii*, alter quondam *Tayloris*. Ex hoc *Marshall* suum Codicem describi curavit.

Praeter *Cod. Leid.* porro, a Vloteno descriptum, et quo uti mihi etiam contigit, in primis in censum veniunt Codices *Parisienses*. Cod. n. 1 exhibet tantum undecim priores versus Geneseos secundum versionem 'Abū-Sa'īd*i*, literis *Samaritanis*, quos edidit Sacyus p. 150 et seq. Multo majoris momenti sunt Codd. n. 2 et 4., literis exarati *Arabicis*, et praeter versionem *Scholia* quoque exhibentes.

Ex Cod. n. 4 exemplum, Parisiis item servatum, anno 1681 ab ·*ibn-Kata* descriptum est in gratiam Abbatis L. de Longuerue, cui addita est collatio Cod. n. 2 et Cod^is^. Leid^is^., qui ibi dicitur *Codex Damascenus*.

Quintus denique Codex Parisiis habetur n. 12, a Sacyo dictus *Codex Atiae*, et ab eo descriptus (*Mém.* p. 105 seqq.), qui tamen non *totus*, sed tantummodo *maximam partem* ·Abū-Sa·īdi versionem complectitur. Ultima enim a Deut. 32: 3 inde ex versione Sa·adiae ab aliâ manu addita sunt; et ab *aliâ* item (ut Sacyo visum est p. 113, 114, 120), at ex *eadem* versione, Gen. 1: 1—12 et 50: 24—26; Exod. 1: 1—19 et 40: 38; Lev. 27: 22—34; Num. 1: 1—17; 15: 45 in fine — 17: 24 (sec. alios 17: 9) et 36: 12, 13. Etenim hicce Codex, ultimis foliis olim amissis, ab imperito librario primum ex Sa·adiae versione suppletus est. Deinde, ut docet praefatio, nullam tamen *temporis* notam addens, *Moallem Atia ben Fadl-allah Abjari*, Copta, Jakobita, vir nobilis, at aliunde ignotus, hunc Codicem lacerum, carentem certe pericopis Gen. 1: 1—12 et Num. 15: 45—17: 24 (9), *Johanni* cuidam, sacerdoti Aegyptio, restituendum commisit. Hic ei praefixit *praefationem* et *lacunas* non modo supplevit, sed singulis etiam 5 libris *seriem* ac *summam capitum* praeposuit: quae quum librorum exordio adscribi non posset, quia textus uno tenore, nullo spatio finem inter et initium librorum relicto, procedebat, novum folium is folio prisco imposuit, cui, praeter *textum*, qui in eo legebatur, *subscriptionem* et *seriem* istam *summamque* capitum inscripsit.

A librario, qui textum versionis ·Abū-Sa·īdi in hoc Codice scripsit, *sectionum tituli* non, ut vulgo, literis *Samaritanis* exarati sunt, sed *Arabicis rubris*. Hanc divisio-

nem Johannes iste sacerdos non curasse videtur. Sequitur hic *aliam* distinctionem capitum, quorum in libro Geneseos habentur 47, 36 in Exod., 34 in Num. et 18 in Deut. Horum capitum initium is in margine significavit.

Ut textus *versionis 'Abū Sa'īdi* ibidem differt interdum a textu reliquorum Codd., v. c. Gen. 12: 16, ubi pro لهم et واماء in Cod. Leid. legitur له et وجوار (*et puellae*), ita etiam textus Sa'adiae, ibi obvius, haud raro diversus est a textu ejus versionis, qui ex Edd. et Codd. innotuit, cujus rei causa tum quaeratur in ipsius librarii *incuriâ*, tum etiam, et vulgo quidem, in *exemplo* quo utebatur; quare Codex hicce dignus est, qui cum Edd. et Codd. conferatur.

In hoc igitur Codice etiam manifestum est, quod ex aliis quoque apparet, Christianos Orientales parum vulgo sollicitos fuisse de textu, quem legerent: quo factum est, ut versiones et recensiones diversae in Codd. adeo corruptae et secum invicem commixtae sint.

Fragmenta ex iis Codicibus edita, et a Vloteno (l. l. p. 35), ac Sacyo (*Allgem. Biblioth.* l. l. p. 42 et in *Mém.* p. 26 seq.), locis ubi reperiuntur additis, enumerata, sunt sequentia: Gen. 11: 1—23 et 49: 1—28; Exod. 3, 4 et 15; Lev. 11; Num. 5: 30, 31—6: 1—9; c. 21—24; Deut. 28; 31: 30—32: 43 et c. 33.

Fragmenta illa quum doceant hanc versionem dignam esse, quae tota cognoscatur, utilissimamque praesertim ad Codicem Samaritanum ejusque versionem Samaritanam penitus intelligenda, et ad textum rite constituendum (cf. Sacy *Mém.* p. 98 seqq.), speramus fore ut integra ejusdem editio aliquando suscipiatur; quae ut bene cedat, editor consiliis obsequatur Sacyi (*Mém.* p. 104), existimantis ex Cod. Paris. n. 2 textum esse edendum, cui jungatur reliquorum Codd. lectionis varietas,

adhibitis commentariis, tum scholiis Codicum Parisinorum, tum etiam commentario Oxoniensi, cujus specimen Schnurrer edidit (*Repert.* T. XVI. p. 154 seqq.).

Magnam esse Codicum *lectionis varietatem*, vel levis Codicum Pariss. n. 2 et 4 (Sacy *Allgem. Biblioth.* X. p. 14, 43 seqq., *Mém.* p. 28 seqq.) collatio ostendit; in primis vero Codex Barberinus (Sacy l. l. X. p. 52 seq., *Mém.* p. 39 seqq.). Cujus rei causam Sacyus (*Mém.*, p. 55), conferens praefationem Codicis n. 4 (*Allgem. Biblioth.* X. p. 7 seq., coll. III. p. 6, 7 et *Mém.* p. 53), partim, sed perperam (quia, ut mox apparebit, haec praefatio 'Abū-Sa'ïd*um* auctorem non habet), tribuit *ipsi interpreti*, qui opus suum saepius descripserit et iterum iterumque retractaverit; partim, et vere omnino, eandem derivavit ex *librariorum* oscitantiâ, quorum alii, ut infra videbimus, versioni Sa'adianae assuefacti, hanc illi praetulerint saepissime, alii 'Abū-Sa'ïd*i* recensionem cum aliâ recensione crebro commiscuerint.

Quo melius vero de ea *lectionis varietate* judicetur, hanc accuratius perpendamus, exemplisque nonnullis illustremus.

1) vocabula *synonyma* per *festinantiam* saepissime permutantur, ut Gen. 11: 10 תולדות, in Cod. Paris. n. 4 ذرية, in Codd. n. 2, 12, Hottingeri, Tayloris et Leid., نسبة; Gen. 49: 9 in P. n. 2, Usserii, T. et L. أسَدٌ, in P. n. 4 et Barb. ليث; 49: 17 in P. n. 2, 12, Cod. B. T. et L. السبيل, in P. n. 4 et Cod. U. الطريق; Num. 6: 6 in P. n. 2, 4, 12, Cod. T. et L. جسد, Barb. نفس; ibid. vers. 3 in P. n. 2, 4, 12, Cod. T. et L. مختمر (*fermentatum*), in B. خل (*acetum*).

2) *deditâ operâ*, et quidem *perspicuitatis* causâ, alia vocabula adhibentur, sive *alia* iis etiam *adduntur:*

Gen. 6: 3. In Codd. P. 2 et L. لا ينغمد فيضى, *non veluti in vaginam recondetur donum meum.* In Paris. n. 4 pro فيضى legitur قصدى *propositum meum.*

Gen. 49: 16 redditur כְּאַחַד in B. et C. Usserii كاحد (Sa'adia كَجُمْلَةِ سِبْطٍ, *ut quaevis tribus*), in 12 et Tayl. كاجلّ, *sicut nobilissima*, in P. n. 2 et 4 et L. كاخصّ, *sicut praecipua.*

Exod. 16: 31. In Codd. P. n. 2 et 4 et L. كحب الكزبرة ابيض, *ut granum Coriandri album*; Sa'ad. كبزر الكزبرة ابيض, *ut semen Coriandri album;* sed Cod. U. كالبزر المقشر *ut semen decorticatum.*

Gen. 49: 10. In 12, B. U. et T. (et sic etiam Sa'adia) القضيب *virga*; in P. n. 2 et 4 et L. قضيب الملك, *virga regni*, id est *sceptrum.*

Gen. 49: 24. אֶבֶן in omnibus Codd. redditur حجر, in 12 et B. additur جوهر, *pretiosus.*

3) Textus *ingenio linguae Arabicae* interdum magis accommodatur:

Gen. 11: 3. In Cod. P. n. 4 نلبن لبنا ونحرق حريقا (*fabricemur lateres admotoque igne coquamus*) verbotenus conveniunt cum Cod. Sam. In exemplo vero Hott., P. n. 2 et 12, Cod. T. et L. legitur: نضرب لبنا (H. لبنه) ونشويه (H. شيه) شيّا (*faciamus lateres eosque igne allato paremus*). Sa'adia hic habet نُلَبِّنْ لُبْنًا ونُنْضِجُهُ طَبْخًا (*fabricemur lateres eosque coquendo coquamus*).

Ibid. v. 8. In Cod. P. n. 4 فقطعوا بناء المدينة, in Cod. Hott., P. n. 2 et 12, Cod. T. et L. فانقطعوا عن بناء المدينة (H. من بناية), id est: *et desierunt ab urbe aedificandâ.*

4) *Emendatur* nonnunquam *versio:*

Gen. 8: 21. *Et dixit Deus* אֶל־לִבּוֹ (ubi attendatur versio

Saʿadiae وقال الله لنبيّه, *et dixit Deus prophetae suo*, ut legitur in Edd., pro quibus tamen, ut in Cod. MS exstat, primum videtur scripsisse interpres: قال الله من ذاته, *dixit Deus ex essentiâ suâ*, id est: *ex se ipso*) in Cod. P. n. 4 legitur وقال الله لخاصيه, *e. d. D. familiaribus suis*, id est *angelis*. In Cod. P. n. 2, L. et U. pro ultima voce, ut intelligatur *Noachus*, legitur لخصيصه: et sic etiam 6: 6 لخاصته in Cod. P. n. 4, permutatur in Cod. P. n. 2 et L. cum لخصيصه.

Gen. 49: 26. הורי in Cod. P. n. 4 redditur حبلى, *utero gerens*; in P. n. 2, 12, L. U. et T. حاضنى, *is qui amplexu me fovit*; in B. والدى, *is qui genuit me*.

Num. 15: 14, 15 in Cod. P. n. 4 redditur فكما تصنعون كذلك يصنع بالجوق سنة واحدة لكم وللجار المستجير الخ, id est: *sicuti facietis, sic faciet* (peregrinus) *in coetu* (id est in mediis Israëlitis commorans). *Statutum unum vobis est et peregrino* cet. In Cod. L. pro بالجوق legitur يا جوق, quod facile vitium haberi possit, non tamen esse videtur. Duplex enim lectio in Codd. Samaritanis olim obvia fuit; altera קָהָל, quâ sumtâ hoc voc. referebatur ad vs. 15. Hanc secutus est Saʿadia, textus Hebr.-Sam. et Sam. versio, quae in Polygl. Paris. et Lond. edita sunt, uti etiam Cod. Leid. Altera lectio est בַּקָּהָל, priori sine dubio praeferenda, quae legitur in P. n. 4, et, quia sensus eam postulat, in Hebraïcis quoque recipienda est.

5) *Nomina propria Arabice* interdum vertuntur, et nonnumquam de *industria:*

Gen. 10: 24 et 25 فالج explicatur قاسم.

» 49: 10 שילה (Saʿadia الذى هو له) in Cod. L. et 12 et verosimiliter in Cod. Ṭ. a primâ manu شِلَه. Deinde *huic* vocabulo substituta sunt من له الملك, *ille cujus est regnum*, ut in

P. n. 2, ab aliâ manu, uti etiam ab aliâ manu in C. T. الذى له الملك. In Cod. P. n. 4, et a primâ manu in Cod. n. 2, legitur سليمان, nomen Samaritanis *exosum* (cf. Schnurrer in *Repert.* T. XVI. p. 168). In B. vero مستحقه *is qui ea virga dignus est.* A Samaritanis hoc seculo ineunte nomen illud etiam explicabatur de viro *legem contemnente* (cf. Sacy *Not. et Extr.* XII. p. 29, 30 et 122).

Ad scholia pergimus, quae margini Codd. Paris. 2 et 4 apposita sunt. Quaedam eorum edidit Sacy (*Allgem. Biblioth.* l. l. p. 143, 145, 149—176, repetita in *Mém.* l. l. p. 121—149 et 195).

Sunt illa *varii* argumenti. In aliis in *Grammaticam* et verborum *sensum* inquiritur, in aliis explicantur *Chronologia*, *pondera*, *mensurae*, alia; in aliis *Judaeorum*, tum *Rabbanitarum*, tum in primis *Karaeorum*, interpretationes et placita perstringuntur, Sa'adianaque versio saepissime refutatur.

Non dubitavit Sacyus, quin haec scholia auctorem habeant 'Abū-Sa'id*um* (*Mém.* p. 64, coll. 96 seqq. et passim). Ejusdem sententiae, nec mirum! fuit Ibn-Kata, librarius exempli e Cod. Paris. 4 descripti (vid. supra p. 124). Scholia enim is ad calcem textus pósuit, et inscriptionem iis praemisit, quâ profitetur, *illum eorumdem esse scriptorem* (*Mém.* p. 105).

Aliam sententiam professus est Gesenius (*de Pentat. Sam.* p. 20). *Haud dubie,* inquit, *alius est* (atque 'Abū-Sa'id), *quippe cum Abu-Saidis lectione pugnans et rei Grammaticae rudis, Scholiastes anonymus bibliothecae Bodlejanae, cujus specimen, videlicet Commentarium in Gen.* 49, *edidit Schnurrerus.* (*Rep.* l. l. T. XVI. p. 157 seqq.).

Quibus verbis sine dubio vitium typographicum inest.

Minime enim voluisse Gesenius videtur, Commentatorem Codicis Bodlej. et Codd. Paris. esse eundem, quia ex comparatione scholii ad Gen. 49: 24, adscripti in Codd. Paris. (vid. Sacy *Allgem. Biblioth.* X. p. 143, 145; *Mém.* l. l. p. 195), cum scholio Cod. Bodlej. (vid. Schnurrer *Rep.* T. XVI. p. 189) apparet, utrumque esse diversum. Quod vero praecedit, *Scholiastam Codd. Parisiensium ab 'Abū-Sa'īdo diversum esse*, verissimum esse censeo.

Argumenta, quae Sacyum moverunt, ut *hos eosdem esse* judicaret, tum ex *praefatione* Codd. Pariss., tum ex ipsorum *scholiis* petita sunt.

Praefatio haec est sec. Cod. n. 4, cui brevitatis causa lectionis varietatem Cod. n. 2 subjecimus. Sacyus utriusque Cod. textum totum inseruit *Mém.* l. l., p. 52 seqq., eique versionem latinam, hîc repetitam, addidit.

من اقتدى بالحق اهتدى[a]

[b] قال العبد الفقير الى رحمة الله تعالى ابو سعيد بن ابى الحسين بن ابى سعيد احمد الله عاقبته اننى لما رايت ترجمة الكتاب الشريف[c] التى بايدى اصحابنا كثرهم الله واصلحهم[d] مفسودة صورة ومعنًى لجهلهم باللغة العربية مع كون بعضهم يزعمون انها ترجمة الشيخ الفاضل ابى الحسن

---

[a] His omissis in C. n. 2 legitur: ترجمة التوراة المقدسة, *Interpretatio legis sanctae.*

[b] Pro قال — اننى in C. n. 2 leguntur: قال العبد المسكين الراجى عفو الله تعالى ابى (l. ابو) البركات بن سعيد البصرى السريانى غفر الله له اننى, id est: *Haec ait servus pauper, veniam a Deo sperans, Abou'lberecat filius Saïdi Bosrensis* (h. e. ex urbe *Bosra* s. *Bostra*) *Syrus, cui condonet peccata Deus.*

[c] Pro التى — واصلحهم Cod. n. 2 tantum habet اصطلاحهم.

[d] Pro مفسودة — مع كون in Cod. n. 2 legitur المفسودة باللغة العربية مع كون.

الصورى رحمه الله [a] وليست له ولا يستحيل ان ينطق بها
وخصوصا ما ترجم فى בלכתך לשוב מצרימה مما هو كفر
صراح وما وقع مشبها لـه وانما هى ترجمة الفيومى عالم
اليهود قابله الله اقتصت (l. اقتضت) المصلحة عندى ان
اترجم [b] هذه النسخة وما تقدمها وما قد اكتب بعدها ان
شاء الله تعالى بعبارة صحيحة فصيحة (l. فصيحة) [c] لتنقل
منها نسخ تنسخ الباطل الذى عول عليه الفيومى ومن
رضى بعبارته وليصير لى ذكر جميل عند الله عز وجلّ
ومتبعى الحق من امته ان شاء الله تعالى

[d] الحواشى التى عليها جميعها استخراجى مما ودّى اليها
اجتهادى واكثرها معانٍ غريبة [e] لله الحمد على الانعام بها
اذا وقع من يعرف شيا من علم العربية بحيث يكون صحة صالحة
ثم يشرط على من يكتب من خطه مثل ذالك فان خرج
عما شرطه فالله بينى وبينه وكفى بالله وكيلا

---

[a] Sequentia a وليست utque ad اقتضت in Cod. n. 2 sic leguntur: فانها ليست له وانما هى ترجمة الفيومى عالم اليهود وذلك اخطى فى ترجمته فى قلة صحة الالفاظ خصوصا فاقتضت, id est: *quamvis hujus viri non sit profecto, et revera haec versio autorem agnoscat Fayyoumensem, doctorem Judaeorum, et ille in interpretatione suâ lapsus sit, parum recte vocibus translatis, peculiariter .... operae pretium fore mihi visum est* cet.

[b] Pro iis, quae ab هذه النسخة usque ad proximum تعالى leguntur, haec in Cod. n°. 2 exstant: هذا الكتاب الشريف من اللغة العبرانية والسريانية بعبارة, id est: (*operae pretium fore mihi visum est, si transferendum suscepissem*) *hunc librum venerandum ex linguâ Hebraïcâ et Syriacâ, interpretatione* cet.

[c] Voc. فصيحة in Cod. n. 2 omittitur, sequentia vero ad تعالى ibi sic se habent: لينقل منها النسخ ويترك ما اعتمده الفيومى ويصير لى بذلك ذكرا (l. ذكر) جميل بمعونة الله تعالى, id est: *ut ex eâ describantur alia exemplaria, et relinquatur illud quod secutus est Fayyoumensis, et sit mihi illud monumentum bonum, auxiliante Deo altissimo.*

[d] Haec ac finem usque in Cod. n. 4 *in margine* scripta sunt.

[e] لله — وكيلا in Cod. n. 2 omittuntur.

Qui veritatem sequitur, in viam rectam dirigitur. Haec ait servus, misericordiae Dei indigens, Abou-Saïdus, filius Abou'lhosaïni, nepos vero Abou-Saïdi (cujus finem ultimum faustum efficiat Deus). Cum vidissem versionem libri hujus venerandi, quae manibus nostrorum sodalium teritur (quorum numerum augeat Deus, quosque beneficiis prosequi dignetur), corruptam esse quoad litteras et sensum, ideo quod linguae Arabicae sint rudes omnino; dicentibus nihilominus quibusdam ex eis, istam versionem a nobilissimo autore elaboratam esse Abou'lhasano Tyrio (cujus misereatur Deus), quamvis hujus viri non sit profecto, nec fieri possit, ut ipse hanc versionem concinnaverit, peculiariter hujus loci interpretationem בלכתך לשוב מצרימה *cet.*, *quae est impietas evidentissima, aliaque plura huic non dissimilia, et cum revera haec versio facta sit a Fayyoumensi, doctore e Judaeis (quem Deus debitis tormentis excruciet), operae pretium fore mihi visum est, si hocce exemplar transferendum suscepissem, illa quoque exemplaria, quae jam praecesserunt, et quae postea, si per Deum licuerit, scripturus sum, interpretatione fideli et concinnâ, ut ex eis describantur alia exemplaria, quorum ope tollantur errores, in quos incidit Fayyoumensis, et qui ejus interpretationem probarunt, et ut sit mihi monumentum bonum apud Deum omnipotentem et apud omnes, quicunque ex populo Dei veritati obsequuntur, si Deo placuerit.*

Annotationes quoque, quae ad marginem appositae sunt, lucubrationum mearum sunt proventus, majorque pars earum magni est momenti. Laus Deo, qui eas mihi largitus est. Si quis fuerit inventus, qui linguam Arabicam callens in aliquem inciderit, cui fidem habere liceat, et cum aliquo

pactus fuerit, qui describat in ejus usum exemplar huic simile, is vero conditiones pacti non fideliter servaverit, Deus judex erit inter me et illum. Qui Deum protectorem habet, nullo alio indiget.

De hac praefatione et textus in utroque Cod. Paris. discrimine multum olim disputatum est, cujus quaestionis historiam enarravit Sacyus (*Mém.* l. l., p. 52 not. *f*), existimans (p. 56), Codicem n. 2 exhibere *apographum mutilatum*, sive potius *imitationem ineptam, Cod. n.* 4, cujus auctor, *nullâ sensus ratione habitâ, multa omiserit, ac nomini interpretis suum nomen substituerit, et alia quaedam deditâ operâ mutaverit.*

Praefationem Cod. n. 2 *mutilatam* esse, et plenioris recensionis, cujus *specimen* tradit alter Codex, compendium exhibere, ab imperitâ manu paratum, argumenta, quae attulit Sacyus, ita probant (p. 59 seq.), ut nullum ea de re dubium amplius supersit. Nam 1) quidem hoc efficitur ex corrupto voc. واصطلاجهم (p. 130 n. *c*) orto ex واصطلاحهم; 2) pronomen هم in proximo بعضهم, quod in Cod. n. 4 refertur ad اصحابنا, in Cod. 2°, ubi hoc omittitur, nihil habet, cui respondeat; 3) خصوصا *peculiariter* (p. 131 n. *a*), omisso loco, qui in Cod. n. 4 citatur, inepte retentum est; 4) quod Sacyum videtur fugisse, منها (p. 131 n. *c*) in Cod. n. 4 refertur ad هذه النسخة, pro quo tamen in Cod. n. 2 substitutum est هذا الكتاب, quo recepto igitur dicendum fuisset منه.

Quamvis igitur Codice n. 2 praefationis *mutilatum compendium*, et Codice n. 4 *plenior recensio* contineatur, minime tamen constat, quod ex Sacyi sententia sequitur [a], pleniorem

---

[a] Sacyus *Mém.* l. l. p. 62: *je n'hésite*, inquit, *guère à penser que le véritable auteur est Abou-Saïd, et qu'Abou'lbérécat n'est qu'un plagiaire,*

hanc recensionem *omnis* fere *vitii immunem*, *omnia*que, quibus Codex n. 2 a Codice n. 4 differt, *improbanda esse.* Videtur mihi uterque Codex *aliam* exhibere *praefationis recensionem*, *ab eodem auctore*, *sed diverso tempore*, concinnatam, quarum *priorem* Codex n. 4 servavit, *alteram* vero Cod. n. 2, in quâ ab auctore pro ratione eorum, quae deinceps egerit, nonnulla mutata sunt. Neuter autem Codex *integram* eam fortasse tradidit, quum ét in Codice n. 4 vitia insint, ét Codex n. 2 praefationem sistat, a librario inerti in epitomen redactam. *Praefationem* praeterea et *scholia 'Abū'l-baracato* tribuere, nullus dubito. Is, ut paucis meam ea de re opinionem referam, ducentis circiter annis post 'Abū-Sa'īd*i* versionem in Aegypto editam in Syriâ videtur vixisse, ac primum, quum cognovisset, versionem Sa'adia*e* inter Samaritanos Syriacos locum suum nondum cessisse versioni 'Abū-Sa'īd*i*, *Commentarium* in hanc conscripsisse, quo eam fratribus suis *Syriacis*, ac fortasse etiam *alibi* habitantibus, tum commendaret passimque explicaret, tum etiam Sa'adia*e* auctoritatem infringeret. Mox vero aliud consilium accessit. Commentarium conscribens, versionis 'Abū-Sa'īd*i*, quam in succum et sanguinem converterat, vitia non animadvertere, ac jam *interdum* non corrigere non potuit. Hanc igitur, ut in praefatione Codicis n. 2 profitetur, deinde, collatis *textu Hebraico-Samaritano* (quem, ut scholia passim docent, contulerat) et (ut docet praefatio) *versione Samaritanâ*, emendavit *universam.*

---

qui a cherché à se faire honneur du travail d'autrui; car il est évident que la préface qui attribue l'ouvrage à Abou'lbérécat, est un extrait et une imitation mal-adroite de celle qui le donne à Abou-Saïd, et que le plagiaire semble n'avoir pas même bien comprise.

Hic nimirum sensus esse videtur verborum in eâ praefatione: اقتضت المصلحة عندى ان اترجم هذا الكتاب الشريف من اللغة العبرانية والسريانية. Recte enim conjecit Sacyus (l. l. p. 58 seq.), nullam aliam versionem, nisi *Samaritanam* illam, ubi *de lingua Syriaca* sermo fit, intelligi posse.

Itaque *duplex* orta sit versionis *Arabico-Samaritanae recensio; Aegyptiaca* sive *'Abū-Saīdi* altera, altera *Syriaca*, sive *'Abū'l-baracati*. Quam ob rem mirificae lectionis varietatis causa non tantum, neque adeo, quaerenda sit in librariorum licentiâ et oscitantiâ, sed etiam, et praesertim, in duabus illis recensionibus secum invicem commixtis: quo facto in Codicibus singulae nunc quidem vix possunt dignosci; fortasse tamen earum supersunt indicia, quae ut ab iis, qui variantium apparatum aliquando colligant, attendantur, optamus.

Sed ut probem, quae modo in medium contuli, sequentia observo.

Ne integritatem Codicis n. 4 temere in dubium vocâsse videar, tenendum est, *verosimile* quidem esse, sed *nondum constare*, quod sumsit Sacyus, eum *Codicem Codice n.* 2 *esse antiquiorem.* Ille enim (Sacy p. 14 et 19) *anno* quidem *Hidjrae* 836 (p. C. N. 1433), et hic *ante annum* H. 920 (1514—1515) scriptus est, ut liquet ex notâ quadam, in quâ mentio fit Sultani, cujus nomen est *Almalec Alaschraf Kansūh Gauri* (Sacy p. 11—13); verum annus ipse, quo hic Codex exaratus est, in notis, quas Sacyus legere et explicare non potuit (p. 11) latere videtur. At, concedamus licet, Codicem n. 4 altero Codice antiquiorem esse, nihilominus probabile est, per spatium 2 fere seculorum, quod inter aetatem Codicis n. 4 et 'Abu'l-baracati intercesserat,

vitia quaedam in textum irrepsisse; quibus annumerem commemoratum ابو سعيد بن ابى الحسين بن ابى سعيد, cujus nomen, quia is sine dubio magis inclaruit, quam ʿAbū'l-baracat, et quoniam ille ét famâ ét in Codd. tamquam *versionis auctor* celebrabatur, hujus nomini ab imperitis librariis substitutum sit.

ʿAbū'l-baracat*um* autem verum praefationis scholiorumque auctorem esse jam exinde opineris, quod in multis Codd. non *scholia* modo, quae librarii brevitatis causa omittere potuissent, sed *praefationem* quoque desiderari, quam si ʿAbū-Saʿīd*us* conscripsisset, illi magis fortasse curâssent. Sed praeterea observatu dignum est, praefationi cum versione ʿAbū-Saʿīd*i* vix aliquid intercedere; intimam contra scholiorum cum praefatione, si modo recte intelligatur, esse necessitudinem. Quae ut cuique in oculos incurrat, de *praefatione* primo, mox de *scholiis* disseramus.

I. Praefationis cum scholiis intimam esse necessitudinem confestim elucet, collatis iis, quae in praef. Cod. 4, et in scholiis ad Exod. 4: 24 (Sacy p. 137 seq.), dicuntur tum de *falsâ opinione nonnullorum, versionem Saʿadia*e *ʿAbu'l-hasan*o *tribuentium*, tum de *gravi errore, quem Saʿadia*s *in reddendo loco Exod.* 4: 24 *commisisset:* qui locus exstat in sectione, quae in Cod. Samaritano incipit a vs. 21, et ibidem nomen habet a verbis: בְּלֶכְתְּךָ לָשׁוּב מִצְרַיְמָה (*dum abis, ut redeas in Aegyptum*), quae verba in praefatione citantur. Versum autem 24, ubi legimus: וַיְהִי בַדֶּרֶךְ בַּמָּלוֹן וַיִּפְגְּשֵׁהוּ יְהוָה וַיְבַקֵּשׁ הֲמִיתוֹ, Saʿadia*s* secundum Ed. Constantinop. et Polygl. Paris. et Lond. reddidit: ولما كان فى الطريق فى المبيت فاجاء ولده ملاك الله فطلب قتله (*et quum esset in via* (*Moses*) *in diversorio, irruit in filium ejus Angelus Dei, eumque occidere conatus*

est). Huic loco sequens scholion (Sacy p. 137) adscriptum est: اعلم ايدك الله ان سعاده الفيومى عالم اليهود قابله الله اخطا فى ترجمة هذه السورة غاية الخطا لانه نسب الرسول سلام الله عليه الى ارتكاب معصية كبيرة اذ القتل لا يكون الا على كبار المعاصى التى اصاغر الانبياء معصومون منها سيما اكابرهم وانى لاعجب من الفصحاء المتقدمين من امتنا رحمهم الله كيف رضوا بترجمته والجهال منهم يظنون انها ترجمة الشيخ ابى الحسن الصورى رحمه الله وحاشاه من ذلك ثم قراة اكثر طائفتنا هذه السورة عبرانيا قراة مفسودة موافقة هذه الترجمة فالحمد لله الذى منّ علىّ بالنهوض بالترجمة الصحيحة الفصيحة والقراة المحررة; id est: *scias (beneficiat tibi Deus)* Sa'ādam *Faijūmensem*, *Doctorem Judaeorum (quem puniat Deus), in vertendo hoc loco gravissimum commisisse peccatum, quia Prophetae, cui sit salus, imputavit gravem rebellionem, quoniam mortis poena non infligitur nisi ob gravem rebellionem, cujus immunes sunt minores prophetae, multo vero magis prophetae majores. Itaque miratus sum, quomodo claris ex gente nostrâ, qui olim vixerunt, interpretibus, quorum Deus misereatur, ejus versio placuerit. Porro rudes quidam ex nostrâ gente opinantur, hanc versionem esse Doctoris 'Abū'l-hasan*i *Tyrii, cujus misereatur Deus, et quod procul ab eo absit, ut faceret. Praeterea major sociorum nostrorum pars hunc locum Hebraïce legens, perperam eum pronunciat, ac ratione, quae isti [Judaïcae] versioni adaptata est. Sed laus sit Deo, qui benevole mihi concessit veram et perspicuam versionem invenire, et lectionem omnis difficultatis expertem.*

Hoc scholio collato, Sacy (p. 93) verissime conjecit, locum versionis Sa'adianae, modo laudatum, in ed. Constantinop. et Polygl. Paris. et Lond. corruptum esse, cum ex dictis Scholiastae

necesse sit, ut scripserit: ولما كان فى الطريق فى المبيت فاجاه الخ, utque a Judaeis, quo Mosen peccati gravioris, quod mortis poenâ eum dignum redderet, absolverent, deinde pro فاجاه substitutum sit فاجاء ولدّه.

Minus certum est, quamnam vocabuli המיתו pronuntiationem Scholiasta in fine scholii cogitaverit. Masorethae legunt הֲמִיתוֹ, iisque assentiebantur Sa'adias, ac major Samaritanorum pars, non vero scholiorum auctor. Eum pronuntiasse »*hemjato* (הֶמְיָתוֹ) *a verbo* הָמָה *tumultuari, tumultuario* »*aliquid facere*", opinatus est Sacyus (p. 93). At quia verbo הָמָה *transitiva notio* in *Kal* tribui nequit, equidem potius cogitem הֹמוֹתוֹ a verbo יָמָה, quod, in Cod. Hebr. licet non obvium, certo *caloris*, *aestusque* significationem habuit, ut Arab. وَمِدَ (*inferbuit* dies), adeoque in *Hiphil* significare potuit *calorem*, *aestum excitavit*, *incitavit aliquem*.

Scholiasta, ita pronuntians, secutus esse videtur versionem Samaritanam, Hebraica ויפגשהו יהוה ויבקש המיתו sic reddentem: ופגעה יהוה ובעו למעצמאתה, id est: *et occurrit ei Deus eumque urgere*, *vi adigere*, *studebat*, quo sensu, ut monet Sacyus (p. 92) verbum עצם adhibetur Exod. 5: 15, ubi Hebr. אצים (*urgentes*) per עצמים redditur. Itaque scholiorum auctor vertit: وكان فى الطريق عند المبيت قصده ملاك الله, وطلب اهاجته, id est: *et in via prope diversorium obviam ei veniebat Dei Angelus, eumque incitare studebat* (nimirum *ut in itinere pergeret*, *neque intraret diversorium*); quae verbi هاج notio in IV. a Freyt. non laudata est.

Scholiasta autem dum gloriatur *se demum hanc pronuntiationem et versionem invenisse*, simul necesse est, si is revera ab 'Abū-Sa'īdo diversus est, ut aliter hic verterit: quare is fortasse unus etiam erat eorum, quos noster

ibidem nuncupat الفصحاء المتقدمين من امتنا. Quomodo verterit 'Abū-Sa'īd, certo dici nequit. In Cod. Leid. saltem, ut in Pariss. n. 2 et 4, versio legitur, quae scholiorum auctori tribuenda est. Si autem reliqua in 'Abū-Sa'īd*i* versione ab eo non mutata sint, 'Abū-Sa'īd pro اهاجته fortasse, ut Sa'adias, scripsit تقتله.

Ut igitur, praefatione cum hoc scholio collata, manifestum est, utrumque eundem auctorem habuisse, ita quoque ex praefatione, probe intellectâ, liquet, hanc *scholia* potius respicere, quam *'Abū-Sa'īd*i *versionem.* Attendamus modo haec verba, in praefatione Codicis n. 4 obvia: اقتضت المصلحة عندى ان اترجم هذه النسخة وما تقدمها وما اكتب بعدها ان شاء الله تعالى بعبارة صحيحة فصيحة الخ. Etenim intelligi potest, si quis promittit, se versurum esse *exemplum, quod manu tenet, aliaque se postea descripturum esse exempla, ut nova deinde ex iis describantur*, non vero, *se exempla* scripturum esse, *quae jam praecesserant*, id est, *quae ante scripta*, adeoque *jam in promtu erant.* Verum tollitur difficultas, si per النسخة exemplum intelligitur, quod *solam 'Abū-Sa'īd*i *versionem* complectebatur, cujusmodi aliisque, tum *futuris*, tum *jam scriptis*, auctor praefationis dicit, se scholia sua additurum esse. Verba nimirum اترجم بعبارة صحيحة فصيحة conjungenda sunt, et non de *versione* adeo, sed de *annotatione fideli et concinnâ*, *quae versionem comitatur*, intelligantur. Quare autem praeter exemplum, quod manu tenebat, *exemplorum* etiam mentionem faciat, *quae jam ante conscripta erant*, apertum est. Cogitat enim exempla item, *Sa'adia*e *versionem* exhibentia, cujusmodi, vivo Scholiastâ, ut hic etiam in scholio ad Num. 27: 18—20 (Sacy p. 147) testatur, inter Samaritanos

circumferebantur quam plurima. Quae quia exspectabat, fore ut plerique missa facere nollent, haec Commentario instruere volebat, quo falsas Sa'adi*ae* interpretationes refelleret.

Quod quum primum ageret, deinde in Codicibus, quos postea ipse conscripserit, satis se fecisse nondum sibi videbatur, si 'Abū-Sa'īd*i* versionem verbotenus exararet. Hanc igitur denuo contulit cum textu Hebraeo-Samaritano et versione Samaritanâ. In his igitur exemplis probabiliter scripsit, quae in Cod. n. 2 leguntur: اقتضت المصلحة عندى ان اترجم هذا الكتاب الشريف من اللغة العبرانية والسريانية بعبارة الخ

Scholia, Codicibus Pariss. apposita, in praefatione intelligi, docent quoque verba الحواشى التى الخ, de quibus observamus:

1) 'Abū'l-baracat*um* haec Codicibus, quos *primum* scholiis instruxit, probabiliter non adscripsisse, quae causa sit, quare in multis Codicibus olim omissa sint, ut in Codice n. 4, sive exemplo, ex quo illud descriptum est: in Codice enim n. 4 ea mox margini addita sunt. Ac verosimilimum est, hanc notam ab ipso Scholiastâ post temporis quoddam intervallum demum praecedentibus additam esse.

2) Ex iis enim, quae ibi dicuntur, conjiceres, falsas de *auctore* horum scholiorum ejusque *pretio* opiniones propagatas esse, quibus auctor coactus fuerit, ut ea tamquam suum opus sibi vindicaret, eorumque utilitatem vindicaret. Fieri v. c. potuit, ut scholia a nonnullis, quod factum est in Cod. n. 4, tribuerentur *'Abū-Sa'īdo* et a versionis Sa'adianae fautoribus vilipenderentur. Nam nullâ datâ opportunitate, prorsus supervacaneum fuisset haec addere superioribus.

3) In monito, quod postremo loco additur, in Codice vero

n. 2 omissum est, librarios noster ob oculos habere videtur, qui si cum alio convenissent, ut integrum versionis ʿAbū-Saʿidi, aut recensionis ʿAbū'l-baracati Codicem cum *plenis* Commentariis describerent, eam versionem vel hanc recensionem sive *sordide exararent*, versionem Saʿadianam mente tenentes; sive illam vel hanc in ejusdem gratiam *corrumperent*, praeoccupatis opinionibus imbuti; sive etiam *selecta scholia*, *multis* partim *plane omissis*, partim *mutilatis*, ei vel huic modo adderent, nullam v. c. rationem habentes locorum, ubi Scholiasta Saʿadiae errores perstrinxerat.

Inter Samaritanos nimirum repertos esse, qui Saʿadiae interpretationibus tenaciter adhaeserint, ex iis constat, quae in praefatione supra dicta erant *de iis, quibus Saʿadiae interpretatio placebat* (ومن رضى بعبارتة [الفيومى]), quibus addantur dicta in scholio ad Exod. 4: 24, supra allato. Atque Codices versionis Arabico-Samaritanae ex Codicibus versionis Saʿadianae, adeo tritis crebroque obviis, revera corruptos esse, docet Codex Barb[us] in loco Deut. 32: 17. Vocabulorum nempe יִזְבְּחוּ לַשֵּׁדִים, posterius Saʿadias secundum ed. Const. et Polygl. Paris. et Lond. reddidit للشياطين; ʿAbū-Saʿīd vero لمشيّدات, id est: *rebus gypso obductis aut luto compositis*, *idolis* (quae notio in Lexicis deëst). Illa autem Saʿadiae versio, in quam scholii auctor ad h. l. (cf. Sacy p. 184) acriter invectus est, in Cod. Barb. nihilominus reperitur (Sacy p. 185, coll. p. 180).

II. Haec de *praefatione* dicenda erant. Transeamus ad *scholia*, et quid ex iis de eorum *auctore* ejusque *aetate* effici possit, videamus.

Primum locos inspiciamus, qui ex Sacyi sententiâ docere videantur, ʿ*Abū–Saʿīd*um eorundem auctorem esse.

Gen. 1: 6 (l. l. p. 121) verbis: ليكون مميّزا بين ماء وماء, *ut (expansum in mediis aquis) sejungat aquas ab aquis*, sequens scholion adscribitur: الواو فى اللغة العبرانية لـها مفهومات عدة من جملتها قيامها مقام لام الغرض فى العربية كما قد ترجمته فى هذه المكان, id est: *Particula Vâu in linguâ Hebraicâ complures habet notiones. In his usitatur, ut in linguâ Arabicâ* لام الغرض (id est, ut *lam*, quae indicat *intentionem* s. *consilium;* lat. *ut*), *quemadmodum eam hîc reddidi.*

Gen. 2: 8 scholion additur, in quo v. c. sequentia leguntur (p. 127): وترجمت ערב ليلا, id est: *et vocem* ערב *reddidi* (Gen. 1: 8 seqq.) *per* ليلا.

Hi tamen aliique ejus generis loci, si vera sint, quae jam probare conati sumus, *scholiorum auctorem alium esse atque ʿAbū-Saʿīd*um, nullam probandi vim habent. Si quis vero nondum concedat, ʿAbū'l-baracat*um*, Commentarium conscribentem, simul hujus versionem nonnumquam emendâsse, ex iis tantum efficere licet, audacius eum opus alienum sibi vindicâsse. Sed istud immerito ipsi imputari, ex sequentibus apparebit, quibus tum ante dicta novis argumentis adstruantur, tum praesertim ostendatur, *scholiorum auctorem, Commentarium conscribentem, simul versionem ʿAbū-Saʿīd*i *emendâsse nonnumquam.* De *universae* versionis *revisione*, quam, si duce praefatione Cod[is] n. 2 supra recte conjecimus, *deinde* paraverit, ob fontium defectum hîc non tam distincte, quam equidem vellem, disserere possumus. Observâsse sufficiat, *fieri* etiam *posse*, ut auctor Commentarium *ante* conscriptum *post* institutam versionis revisionem novis animadversionibus auxerit, quibus de factis emendationibus exponeret, utque auctior ejusmodi Commentarii editio in Codicibus Pariss. 2 et 4 exstet.

Quaestione igitur de tempore, quo animadversiones illae scriptae sint, in medio relictâ, has solas perpendamus.

In locis autem Geneseos modo allatis ʿAbū'l-baracat jam emendationes instituisse videtur, postea illatas Codicibus, qui Aegyptiacam ʿAbū-Saʿīd*i* recensionem exhibebant.

Gen. 1: 6 ʿAbū-Saʿīd nimirum cum Saʿadia verosimiliter verterat ويكون, pro quo ʿAbū'l-baracat substituit ليكون; et ibidem vs. 8, ubi Saʿadia*s* scripsit ليل, ʿAbū-Saʿīd vero, ut Hebraïca pressius redderet, probabiliter adhibuit عشى, ut Gen. 29: 23, noster ليل reposuit.

Nec temere eos locos ita explicuisse mihi videor, duos alios conferens, quorum alterum supra jam tractavimus; Exod. 4: 24 nempe, ubi in versione ʿAbū-Saʿīd*i* vox قتله in اهـاجـتـه mutatur; alter est in scholio, apposito Num. 27: 18—20 (Sacy p. 147).

Ibi ad verba vs. 18: קַח לְךָ אֶת־יְהוֹשֻׁעַ, quae redduntur: قدم لك يوشع, haec adscribuntur: اعلم الهمك الله الهدى وعصمك من الهوى اننى لما وقفت على اكثر نسخ العبارة التى بايدى اصحابنا وجدت ترجمة هذه السورة تعصبا على يوشع عم فالله يقابل الفيومى الذى مشوا اصحابنا على ترجمته والذى رايته فى ترجمة קח قدم; id est: *scito (impertiat tibi Deus veritatem et servet te a lapsu) me, quum attendissem majorem partem exemplorum versionis, quae sodalium nostrorum manibus teruntur, invenisse versionem hujus loci inimicam esse Josuae. Deus igitur puniat* (Saʿadiam) *Faijūmensem, cujus versionem receperunt nostri sodales; quam ob causam* קח *in versione reddendum esse putavi per* قدم.

Haec ʿAbū-Saʿīdo tribui nequeunt: 1) enim Codices Arabici, quibus Samaritani utebantur, quum is suam versionem

pararet, non *maximam partem*, sed *omnes* textum sequebantur Sa'adia*e*: aetati vero 'Abū'l-baracat*i* ea sunt aptissima, quum *pauci* essent, qui 'Abū-Sa'īd*i* versionem legerent.

2) Similiter ea, quae dicuntur de ratione, quâ זקן vertendum sit, in 'Abū-Sa'īd*um* non cadunt. Nam si ita locutus fuisset, sibi non constitisset. Alibi nempe hoc vocabulum, Sa'adia*e* more, etiam reddidit per شيخ, ut Exod. 17: 5, ubi de *Senioribus* quidem Israëlitarum non vero de *Josua* sermo fit; sed non video, quare is idem vocabulum ibi non eodem modo vertisset. Itaque potius statuam, Scholiastam in suâ recensione illud vocabulum passim per مقدّم, et 'Abū-Sa'īd*um*, Sa'adia*m* secutum, per شيخ reddidisse; librarios vero utramque recensionem commiscentes, aliis in locis illud, aliis hoc assumsisse.

Alia quoque indicia *editis* scholiis insunt, quae supra dicta confirmant, quibus alia etiam ex *ineditis* addi posse, mihi persuasum est; verum quum Codices Pariss. ipsos consulere non potuerim, ex locis tantum a Sacyo publici juris factis, hanc quaestionem hîc illustrare coactus sum.

1) Primum igitur nunc redeamus ad argumentum a Gesenio allatum, quo ex *discrimine lectionis*, *inter 'Abū-Sa'īd*i *et scholiorum textum conspicuo*, effecit illum haec non scripsisse.

Ejusmodi locis, quorum numerus, si in Codicibus ubique *genuinus* versionis 'Abū-Sa'īd*i* textus servatus fuisset, sine dubio esset insignis, accenseantur sequentes:

Gen. 1: 6, ubi τῷ רָקִיעַ, quod 'Abū-Sa'īd secundum Codd. Pariss. 2 et 4 et Leid. vertit فلك, Commentator vero رقيع, adscribuntur (Sacy p. 121): من اسماء السماء الرقيع وهى لفظة نقلت من اللغة العبرانية الى العربية بحروفها الاربعة ومن اسمائه الفلك الخ, id est: *unum ex coeli nominibus est*

الرقيع, *eaque vox translata est ex linguâ Hebraïcâ in linguam Arabicam, retentis 4 literis iisdem. Etiam inter nomina coeli habetur* الفلك cet. Improbantur porro coeli nomina, بساط, جمد, جلد, e quibus جَلَد Sa'adia hîc usus est: cujus nomen tamen reticetur.

Gen. 2: 8. מִקֶּדֶם 'Abū-Sa'īd sec. Codd. Pariss. n. 2 et 4, et Leid. vertit من قبل id est: sive *ab anteriore parte* (مِنْ قُبُلٍ), sive *antea* (مِنْ قَبْلُ). In Scholio (Sacy p. 127) seqq. leguntur: قوله بالقبل المراد به من اليوم الثالث الذى خلق فيه عز وجل النبات والاشجار الخ, id est: *per voc.* بالقبل *indicatur* (hortum Edenis adfuisse) *a tertio die inde, quo creavit Deus O. M. plantas et arbores.* Scholiasta igitur, nisi ipse ita *emendavit*, sic saltem in *suo* versionis 'Abū-Sa'īdi Codice *legit.* Idem de tribus locis seqq. observandum est.

Mox nimirum in eodem scholio Commentator, ut probet versionem suam vocis ערב per ليل Gen. 1: 8 seqq., locum affert Gen. 29: 23, his verbis utens: ومما يدل على ان لفظة ערב تقع على الليل قوله ولما كان فى الغروب اخذ لاه بنته فلو كان الغروب الاول او الثانى لكان حقق نظرها, id est: *et ex iis locis, qui ostendunt, voc.* ערב *significare* noctem, *est sequens dictum:* et vesperâ sumsit (Labań) Leam filiam suam: *nam si hoc factum fuisset vesperâ primâ aut secundâ,* (Jakobus) *eam certo agnovisset.* — In loco vero Gen. 29: 23 pro فى الغروب, in Codd. Pariss. n. 2 et 4, et Leid. legitur بالعشى *vesperâ primâ.*

In scholio ad Exod. 20: 23 (Sacy p. 141) citatur Exod. 23: 8 hac ratione: *dona coecos reddunt* (ان الرشا يعمى) *oculos intelligentium,* عيون البُصَرَاء; in Cod. Leid. legitur: بصائر البصراء.

Num. 27: 19, ubi Deus Mosi mandavisse fertur, ut Josuam

sisteret coram Elazaro, his verbis: *et sistas eum*, in Cod. Leid. legitur: ولتوقفه, in Cod. vero Paris. n. 4. ولتنصبه, quod utrumque textûs sensum accurate refert. *Hoc* tamen vertisse sive legisse videtur 'Abū-'l-baracāt, ut ex scholio supposito (Sacy p. 147) liquet, ubi vocabula: והעמדת אתו sic explicantur: معناه ولتنصبه فى هذه المنصب الجليل الشريف بحضور جميع الامة وفى جملتهم العزر وايثمر وفينحس الخ, id est: *sensus est: et sistas eum in hacce excelsā et magnificā dignitate coram universā gente, et inter hos coram Al'azaro*, *'Itamaro et Fīnhaso* cet.

2) Argumento, quo usus est Gesenius, alia accedunt. Scholia nempe a Sacyo edita percurrens, dubitas, utrum potius egerit Commentator, ut *versionem Arabicam*, an ut *textum Hebraicum* interpretaretur. Hunc toties citat explicatque, ut scholia nonnulla vix dici possint *commentarius in 'Abū-Sa'īdi* versionem. Interdum quoque nulla ejus versionis ratio habetur, et Hebraïca Arabice versa sunt verbotenus, ut in scholio, quod Sacy p. 147 edidit. Ibi enim Exod. 13: 21 sic laudatur: والله سار بين ايديهم, 'Abū-Sa'īd vero secundum Cod. Leid. ita vertit: وملاك الله سار بين ايديهم. Praeterea quoque tenendum est Scholiastam, de se loquentem *primā personā* (conf. v. c. infra p. 148 seq. scholion ad Num. 15: 4 et Lev. 27: 16), ubi de versione 'Abū-Sa'īdi verba facit, semper *tertiam personam* adhibuisse: v. c. اراد بقوله, s. المراد بقوله, s. قوله, يريد cet. Ex tali ergo agendi dicendique ratione etiam liquet, 'Abū-Sa'īd*um* horum scholiorum auctorem non esse.

3) Verum praesertim hoc efficitur ex *multorum vocabulorum explicatione*, quae Samaritanis Aegyptiacis, in quibus mediis 'Abū-Sa'īd scripsit, sane supervacanea, et *coaevis* ejus

alibi degentibus, plerumque haud necessaria fuisset; verum utilissima fuit Samaritanis, *recentiore aetate* in *Syriâ* viventibus, in quorum maxime gratiam ʿAbū-'l-baracāt, *ibidem* habitans, hanc annotationem addiderit. Iis v. c., *geographiae*, ut ex Epistolis in Europam missis novimus, quam maxime rudibus, non inepta erat animadversio, adscripta Num. 34: 5, vocabulis نهر مصر (Sacy p. 149): نهر مصر هو وادى العريش وهو يحد الشام من تلك الجهة, id est: *per fluvium Aegypti intelligitur rivulus ʿal-ʿArīš, qui est in terminis Syriae ab hac parte.*

Praecipue vero hîc in censum venit interpretatio *ponderum* et *mensurarum*, quae definitionibus ponderum mensurarumque, in *Syriâ* usitatorum, illustrantur.

Exod. 30: 24 Hebr. הִין, mensura *liquidorum*, continens sextam partem *bathi* (בַּת), sive 12 *logos* (לֹג), vertitur مطر (l. مِطْر), quod vocabulum Graecae, ut videtur, est originis. Hoc saltem respondet Graeco μετρήτης in vers. Arab. Joa. 2: 6. Licet autem in loco quodam ʿal-Maqrīzīi, a Sacyo allato in *Relation de l'Egypte par Abd-allatif*, p. 284, id ab eo vertatur *vasa*, non *quaevis*, sed *certa quaedam vasa*, quorum amplitudo et magnitudo definita erat, ibi intelligi possunt. Talia in ʿAbū-Saʿīdi versione etiam fortasse spectantur. In scholio p. 142 ea vox sic explicatur: المطر هو القنطار الاسرائيلى وهو البدرة المشتملة على ثلاثة الاف متقال بمتقال القدس وذلك اربعة وعشرون رطلا برطل دمشق الان, id est: *per* المطر *intelligitur talentum* (s. *pondus*) *Israëliticum*, *quod idem est atque pondus*, *quod dicitur* البَدْرَة, *quod complectitur* 3000 *pondera* (مِثْقَال), *ad normam nempe ponderis sacrarii definita*, *idque est* 24 *ratlorum* (رَطْل), *ratlorum nimirum hodie usitatorum Damasci.* — Perstringuntur porro

Judaei Karaei, quod in loco Exod. 30: 13, quem Abū-Saʿid verterat: ومثقال القدس عشرون دانقا, definiverant *drachmam* (الدرهم) per 20 *dānaqos*, pondus *ejus aetatis* cum pondere *antiquo* confundentes. Contendit enim Scholiasta, drachmas *Salomonis aetate*, cujusmodi complures ipsius aequales servare dicuntur (!), pondus habuisse $4\frac{4}{5}$ drachmarum *suae aetatis*, adeoque in loco Exod. 30: 13 non intelligi *dānaqos*, qui *drachmae*, sed qui *denarii* partes, sive *subdivisiones*, ut ajunt, efficiunt.

Lev. 23: 13 הִין vertitur القِسْط, quo vocabulo Saʿadia Exod. 30: 24 etiam usus erat, idque in scholio (Sacy *Mém.* p. 244) explicatur: القسط الف وخمس مائة درهم وهو مستعمل فى الشوبك الى الان, id est: القسط *aequiparat* 1500 *drachmas* (*Damascenas;* cf. scholion sequens), *et hodie usque usitatus est in oppido ʿaš-Šaubac;* qui locus, teste Lexico Geographico situs est فى اطراف الشام بين عمان وايلة قرب الكرك, *in extremis Syriae oris ʿAmmān inter et Ailah prope ʿal-Carc;* et sec. ʿAbū-ʾl-fedāum على طرف الشام من جهة الحجاز *in extremo Syriae termino a latere ʿal-Ḫidjāzi* (cf. A. Schult. *Ind. Geogr. in Vitâ Salad.* in voce *Sjaubechum*); quo loco non miramur, mensuras in Aegypto vigentes, receptas et diu servatas esse.

Cum hoc loco conferatur scholion, illud explicans, appositum Num. 15: 4 (Sacy l. l. p. 146), ubi הִין in Arabicâ Cod. Sam. versione iterum vertitur القسط. Scholion hoc est: القسط الف وخمسمائة (adde درهم) بالربع المتعامل به بدمشق الى الان حقيقته (l. حققته) من حساب الشوبك وربعه يقارب عشر الوبية (?l. اوقية) وزنا; id est: القسط *aequiparat* 1500 *drachmas*, (*computo facto*) *secundum quartam* (*ejus*) *partem, quae adhuc Damasci usitatur. Cognovi illud*

ex computandi ratione quae obtinet in urbe 'aš-*Šaubac*o; *quarta autem pars ejus pondere circiter aequat decem uncias* (?).

Lev. 27: 16 denique חֹמֶר (mensura *aridorum*, 10 בַּת continens, et apud seriores scriptores Hebr. כֹּר appellata) redditur, ut a Sa'adiâ كُرّ, eique vocabulo haec additur annotatio (Sacy p. 146): الكر اربعون غِرارةً حققته فى الرقة, id est: الكر *continet* 40 *saccos* (*magnos*), *quod ita esse cognovi in urbe Raqqae*. Intelligitur urbs ad Euphratem, olim splendida, sed 'Abū-'l-feda*i* (mortui anno Hidjr. 732, p. C. N. 1331) aetate jam *desolata*, *ita ut nullus in ea homo amplius* tunc *versaretur*. Sic enim is (cf. A. Schult. l. l. in v. *Racca*): والرقة فى زماننا مدينة خراب ليس بها انيس (إنْس) .l

Haec scholia, ut 'Abū-Sa'ido tribui nequeunt, cui insuper non opus fuisset, ut in verborum, quibus ipse usus esset, sensum inquireret, ita referunt interpretem, post propagatam versionem illius viventem, qui mensuras Damasci vigentes cognitas habebat, et itinere facto Šaubac*um* et Raqqa*m*, in rationem τῶν قسط et كر inquisiverat, idque fecerat ante annum Hidjrae 732 (1331).

Ad interpretis aetatem accuratius definiendam insuper fortasse conducunt ea, quae is in scholiis tradidit de mensurarum Syriacarum suâ aetate rationibus, quas in Syria variis temporibus diversas fuisse ét rerum civilium saepe deinceps immutata conditio, ét ipsius interpretis verba docent. Nam si eadem mansisset mensurarum ratio, non de mensuris الآن et الى الآن usitatis locutus fuisset; quin etiam ex scholio ad Lev. 23: 13 suspicareris, usum τοῦ قسط olim per Syriam latius patuisse. Quia vero mensurarum *historiam* ignoro, ad alia potius progredior argumenta, quae *aetatem* 'Abū-'l-baracāt*i* indicent.

3) Locos puto, quibus Scholiasta Judaeos Karaeos perstringit, cujus rei specimen jam habuimus. Sub finem quoque scholii ad Gen. 6: 3 (Sacy p. 130, 131) commemoratur أبن اسد كبير شراح القرائين. Quando *'Ibn-'Asad* iste, *princeps Commentatorum Karaeorum*, vixerit, non inveni; sed alterius aetatem incidentem in sec. 12^{um} reperi, cujus mentio fit in scholio ad Exod. 20: 23 (Sacy p. 141) nomine ابى الفرج هارون, de quo Wolfius (*Biblioth. Hebr.* I. p. 5 seqq.) haec tradidit: אבו אלפראג *Abu Alpharag*, *Judaeus*, *quem post Hotting.* (*Hist. Eccl.* sec. 12. p. 244) *Spizelius et Hendreichius Abulfargum vocant*, *novus Karaeorum vindex et propugnator*, *qui in Terra sancta commoratus*, *commentarium in Pentateuchum exaravit.* cet.

Sunt denique duo alii loci, in quaestione de *interpretis aetate* agitandâ animadversione dignissimi: alter est in scholio ad Gen. 49: 24, alter in scholio ad Deut. 32: 26.

Ex priore tamen vix certi quid elicitur. Scholion, (Sacy. p. 195) adscriptum vocibus: حجر اسرائيل, hoc est: يريد بحجر اسرائيل المنصبة السفلى التى نصبها يعقوب عم فى ارض السارين (السامريين .s السامرة .l) ومراعتها من قبل الله عز وجل اذ هى قائمة من مدة يزيد على ثلاثة الاف سنة الخ, id est: *intelligit per* lapidem Israëlis *cippum inferiorem*, *quem posuit Jakobus in terrâ Samaritarum*, *eumque conservatum curâ Dei O. M.*, *quia is superest post spatium*, *quod excedit numerum* 3000 *annorum.* Videtur respici Gen. 28: 18—22, quo tempore Jakobus 20 annos circiter natus fuerit; quibus si adduntur 60 anni, quos vixerat Isaäkus, quum Jakobus nasceretur (Gen. 25: 26), et 100 anni, qui, nato Isaäko, tribuuntur Abrahamo (Gen. 21: 5); ac deinde 2249 anni, qui, secundum Cod. Samarit., a mundo

condito praeterlapsi sint, quum nasceretur Abrahamus (cf. v. c. Frid. Spanhemii *Introd. ad Chronol. et Hist. Sacr.* L. B. 1683. 4°, p. 4 et 6, Chronologiam definientis secundum *lectionem Codicis Samaritani*, et Eduard. Bernardi *Chronol. Samarit. Synopsis ex MSS.* [in his ex Chronico *'Abū-'l-fathi*] *eruta* in *Act. Lips.* anni 1691, p. 167) tunc numerus prodit 2429 annorum M. C., quo tempore Jakobus ex Samaritanorum sententiâ lapidem illum posuerit.

Hisce annis, si 3000 adduntur, in scholio commemorati, numerus fit 5429; a quibus si anni detrahuntur 4425, qui a Samaritanis numerantur (cf. *Act. Lips.* l. l.) *ante Christum natum*, numerus exit 1004 *post Chr. nat.*, quo anno Scholiasta vixerit. Tunc vero is Commentarium scribere non potuit, quia ipsa versio eo tempore nondum parata erat, et 'Abū-'l-faradj, cujus, ut vidimus, Commentarium Scholiasta legit, seculo demum vixit 12°.

Neque etiam tollitur haec difficultas, si, loco Gen. 28: 18—22 seposito, per cippum, in scholio descriptum, cum Sacyo *columnas* intelligimus, *positas in terminis Aegypti et Syriae, in loco*, qui *Refa* dicitur, quas Scholiasta tribuerit Jakobo, et ab eo, ex Canaäne in Aegyptum tendente, conditas esse crediderit. Columnas nimirum cogitavit Sacyus, quarum mentio fit in *Pièces diverses relatives aux opérations militaires et politiques du G. Bonaparte, an* VIII, p. 144, et in *Hist. médicale de l'armée d'Orient, par Desgenettes*, p. 43 et 111. *Has* autem columnas, neque *lapidem Bethelis* Sacyus potissimum attendit, quia locus in scholio commemoratur non *uno*, sed *compluribus* monumentis insignis. Quod licet verum sit, collato vocabulo المسفعى, *Bethel* nihilominus potest cogitari, sive alius quilibet locus, in

ditione Samaritanorum situs, in quo praeter dictum lapidem alia pristini aevi monumenta, cujusmodi haud paucis ea gens gloriatur, commonstrarentur. Praeterea si Sacyi conjectura vera sit, verba ارض السارين, si leguntur أرض السائرين, praesertim si hîc respicitur Gen. 47: 9, explicari possunt *terra peregrinationis*, quod melius profecto satisfaciet, quam interpretatio *terrae itineratorum*, quam Sacyus haesitans etiam proposuit. Porro observandum est, annis 1004 tunc addendos esse 110 (qui elapsi sint post ea, quae Gen. 28 narrantur, quum Jakobus 20 annos natus fuerit), quia is Gen. 47: 9, anno aetatis 130° in Aegyptum migrasse fertur. Sic ergo annus, quo Scholiasta scripserit, esset 1114 post Chr. nat., quo tempore nescio an Commentarius ille Judaïcus jam conscriptus fuerit.

الناصريّة الجوّانيّة (p. 80), et الظاهريّة الجوّانيّة (p. 79), البرّانيّة (p. 84). Nempe duae fuerunt Damasci Scholae, quae a nomine conditricis, سِتّ الشّامِ زُمُرّد خاتون, sororis Çalāho'ddīni, الشاميّة dicebantur; duae itidem, quae ab ·al-Malico-'t-Ṫāhiro الظاهريّة, et quae ab ·al-Malico-'n-Nāçiro الناصريّة appellabantur: ex quibus alterae *intra urbem*, alterae *extra eam* structae erant. Similiter etiam ·al-Qāhirae duae fuerunt Scholae, المُعِزّيّة dictae, quae ob eandem causam adjuncto nomine البرّانيّة et الجوّانيّة a se invicem distinguebantur.

[a] De hoc viro in peculiari capite hujus ipsius libri egit Ḋahabīus, p. MS. 329 seq. Nomen ejus ibi in initio sic scriptum est: ابن الشيرازى الشيخ الجليل المُسْنِد الامين المعمَّر رُحْلــة الشام شمس الدين ابو نصر محمد بن القاضى الرئيس عماد الدين ملك الكَتَبة محمد بن العلامة اقضى (sic) القضاة شمس (الدين (adde ابى نصر محمد بن هبة الــلــه بن محمد بن هبة الله بن محمد بن يحيى بن بُنْدار بن مميل الفارسىّ الشيرازىّ الاصل الدمشقىّ ثم المِزّىّ; ac natus esse legitur mense Ṡauwāle a. 629, mortuus die 9° mensis Ḋū-'l-ḫiggae a. 723. Conf. de avo ejus Wüstenf. liber *die Acad. d. Ar.* N. 79; ac de patre et fratre ejus 'Ibn-Ḫabīb ad a. 682 et 705.

[b] De pronuntiatione nominis صَصْرَى jam dixi in annot. ad Meursingei *Spec.* p. 114. De nepote autem hujus Sālimi ·ibn-Çaçrā, Aḫmede ·ibn-Moḫammed (de quo vide etiam Wüstenf. l. l. N. 48, et 'Ibn-Ḫabīb ad a. 723), peculiare in hoc Ḋahabīi libro caput est (MS. p. 326), in cujus initio genealogia ejus his verbis traditur: ابن صصرى الشيخ الامام العالم قاضى القضاة كبير الرؤساء نجم الدين ابو العباس احمد بن محمد بن سالم بن الحافظ ابى المَواهب الحسن بن هبة الله بــن محفوظ بــن الحسن

له الشيخ عَلَمُ الدين مَشْيَخَةً [a] فى جُزْءَيْن واجاز له الشيخ شهاب الدين السُّهْرَوَرْدىّ [b] واسمعيل بن باتكين [c] وعدّة وحدّث بالكثير وكان له أَجْزاء وعلى ذِهْنه تاريخ ونُتَف [d] وفيه دِين

ابن الحسن بن محمد بن الحسن بن احمد بن محمد بن صَصْرَى الربعىّ التَّغْلِبىّ الدمشقىّ الشافعىّ. De hujus Ahmed*is* fratre, Sālim*o* ·ibn-Mohammed ·ibn-Sālim, conf. 'Ibn-Habīb ad a. 698; ac de utriusque patre, Mohammed*e*, Sālim*i* hîc commemorati filio, idem ad a. 670.

[a] Dictio خرّج له مَشْيَخَةً in libris hujus generis saepe occurrit (vid. ex. gr. Wüstenf. *die Acad. d. Ar.* p. ٩ vs. 4 et p. ١٢ vs 1 a f.), atque evidens est eam significare: *edidit librum illius* (id est, *librum ex illius institutione profectum et illi igitur tanquam auctori tributum*) *de Šeikis*, nempe talem, in quo de multorum Šei*korum*, ipsi notorum, nomine, genealogiâ, aetate et scriptis, exponeret. Istiusmodi libri brevissimo nomine مَشْيَخَة, *Šeiki*, dicebantur, ut etiam apparet ex Hāgī-Ċalīfae Lexico bibliographico, qui sub titulo مشيخة haud paucos eorum commemoravit.

[b] De hoc viro, jam mortuo a. 632, vide 'Ibn-Ċall. N. 507. Pronepotem ejus commemoravit Dahabī*us* in peculiari hujus libri capite, MS. p. 413, in cujus initio genealogia ejus sic traditur: ابن السهروردى الصدر الصاحب جمال الدين عبد الرحمن ابن عبد المحمود بن ابى جعفر محمد بن شيخ الاسلام شهاب الدين عمر بن محمد القرشىّ التيمىّ البكرىّ السهروردىّ ثم البغدادىّ. Hic Bagdād*i* occisus esse legitur mense Dū-'l-higgâ a. 737.

[c] Hujus nominis, aliunde mihi non noti, duae postremae litterae in Cod. punctis carent. Videtur tamen sic ut feci scribendum, et pronuntiandum esse بَاتِكِين.

[d] نُتَف, plurale formae نُتْفَة, proprie *ea* significat, *quae sine labore et solis digitis e terrâ evelluntur*, et hinc figurato sensu

وهِمّة وجَلَادةٌ على خِفّةٍ فيه حدّث بدمشق ومصر توفّى فى
مصر سنة احدى عَشْرة وسبعمائة وله اثنتان وثمانون سنة *

Duorum autem illorum, quorum nomina ex 'Ibn-Ḫabībi opere supplere hîc possum, alter est Amīno'ddīn ·ibn-'Asākir, alter Šarafo'ddīn ·ibn-'Asākir. De priori, mortuo a. 687, haec apud illum scriptorem (MS. p. 108 seq.) offeruntur:

وفيها (سنة سبع وثمانين وستّمئة) توفّى الشيخ أَمِينُ الدين
ابو اليُمْن عبد الصَّمَد بن عبد الوَهّاب بن الحسن بن
محمد بن الحسن بن هبة الله بن عبد[a] الله بن الحسين

---

talia, quae non solide elaborata sed leviori manu tractata sunt (conf. quae de vi formae نُتَفَةٌ ex ·al-Qāmūso in Lexica recepta sunt). Dicit hoc loco auctor, cum singulari quâdam breviloquentiâ: *Scripto reliquit multa volumina, ac de sagacitate ingenii ejus tum in historicorum operibus, tum in alîus generis libris leviore stilo conditis, proditum est.* Quo autem Lectori certum sit, reverâ hunc sensum subobscuris illis verbis tribuendum esse, ex ipso hoc opere alium locum adscribam, in quo simillima magnâque ex parte plane eadem locutio offenditur. Nimirum in fine capituli de شمس الدين ابن القَمّاح (nato, ut hîc legitur, a. 656; mortuo, ut expressis quidem verbis hîc non dictum est, sed tum ex ipso hujus capituli *loco* sequitur tum ex 'Ibn-Ḫabībo constat, a. 741) haec scripsit Ḏahabīus (MS. p. 435): وجمع مَجَامِيعَ مُفِيدَةً على ذِهْنه تاريخٌ كثيرٌ ووَفَيَاتٌ للشُّيُوخ وحكاياتٌ ونَوَادِرُ, id est: *et composuit opera utilissima; de sagacitate ingenii ejus tum in multis historicorum locis est proditum, tum in talibus diversorum Šei*ḫ*orum libris quorum primarium propositum est accurate annos mortis notare, tum etiam narrationes feruntur et singularia exstant specimina.*

[a] In Cod. hîc male scriptum est عبيد: in altero loco, infra edendo, recte offertur عبد.

ابن عَساكِر الدمشقىّ الشافعىّ عالِمٌ عامِل، وَرِعٌ لِواء الزُّهْد حامل، كثيرُ العِبادة، ماشٍ مع المَشِيئة والارادة، تعلّق بأطْواقِ الأخْلاق الجَميلة، وجاوَر بالحَرَمَيْنِ الشريفَيْن وحدّث بهما مُدّةً طَويلة، سمع الكثيرَ من جَدِّه وغَيْره، ولازَم الطريقَ فى سُراهُ وسَيْره، ترك الدنيا مع القُدْرة علَيْها، وعَزَفَتْ نفسُه عنها فما اشْتغلَ بها ولا نظَر اليْها، وهو من بَيْتِ العِلْم والحَدِيث، والفَضْل المَكِين والدِّين المَكِيث، وله نَظْمٌ زها دُرُّ عُقُودِه، وهَبَّ نَسِيمُ نَجْدِه وغَوْرِه وزَرُودِه[a]، وهو القائل من أبْيات

(الرمل) [b]مَنْ يَكُنْ أَضْحَى بنَجْدٍ مُغْرَمًا وزَرُودٍ والحِمَى والعَلَمِ

---

[a] De زرود haec in Lexico Geogr. exstant: زرود موضع بطريقِ مكّةَ بعد الرَّمْل فيه قصرٌ اصفرُ لعلّها سُمّيَتْ به وبِرْكةٌ وآثارٌ. Describit autem in hoc articulo Amīno'*d*dīn*i* poësin tanquam talem, *cujus aura lenis, similis illi quae regiones Nagd*i, *'al-Gaur*i *et Zarūd*i, *beat, jucundissimum in modum spiraret.*

[b] Sensus hujus distichi, ut cum sequente cohaeret, hic est: *Si alii homines amori Nagd*i *et Zarūd*i *et 'al-Himā*i *et 'al-Ālam*i *fuerunt dediti, at* mea *amoris aegritudo cum templo Dei conjuncta est* caet. De الحِمَى Lexicon Geogr. sequentia offert: الحِمَى بالكسر والقَصْر واصلُه الموضعُ فيه الكَلأُ يُحْمَى من الناس أَنْ يَرْعَوْه قال الأَصْمَعِىُّ الحِمَى حِمَيانِ حِمَى ضَرِيَّةَ وحِمَى الرَّبَذَةِ قال ووجدتُّ انا حِمَى النِّير وحِمَى ذِى الشَّرَى وحِمَى النَّقِيع وحِمَى ضَرِيَّةَ وهو اشهرُها واسترُها وهو كان حِمَى كُلَيْب بن وائل وبناحية منه قبرُ كُلَيْبٍ معروفٌ الى الان وهو سَهْلُ المَوْطِئِ به كانَتْ تَرْعَى إبِلُ المُلُوك وحِمَى الرَّبَذة قال فيه النبىُّ صلّى الله عليه وسلّم لَنِعْمَ المنزلُ الحِمَى لولا كَثْرةُ حَيّاتِه وهو غَلِيظُ المَوْطِئِ كثيرُ الحُمُوض يَطُول عنه الأَوْبارُ وتَنفتّقُ الخَواصِرُ وحِمَى فَيْدٍ يجىءُ فى أَشْعار أَسَدٍ وطَيِّءٍ وفى أَشْعار كُلَيْبٍ فى أَحْماءِ بلادهم وحمى (حِمَى .l) النِّير بكسر النون ياتى [فى النون] وحِمَى ذى الشَّرَى وحِمَى النَّقِيع بالنون بقرب المدينة حَماه عُمَرُ لإبِلِ

فَبَيْتُ اللهِ أَمْسَى شَجَنِى وَالهَوَى مَكَّةُ ذاتُ الحَرَمِ
إِنّ قلبى فى نَوَاحِيها لَقًى وفُؤَادى بين تلك الحُطُمِ[a]
فَاسْأَلاَ[b] عنّى اذاما جِئْتُمَا[c] بين رُكْنِ البيت والمُلْتَزَمِ[d]

الصَّدَقة. Ex his igitur diversis locis hîc, credo, حِمَى ضَرِيّة significatum est, situm (ut ibid. in v. ضرية legitur) in viâ quae al-Baçrâ Meccam ducit. — De العَلَم haec in eodem libro scripta sunt: العلم جبلٌ فَرْدٌ شرقىّ الحاجِرِ يقال له أَبَانٌ فيه نَخْل وفيه وادٍ لو دخله مائةُ اهلِ بَيْتٍ بعد أن يَمْلِكوا عليهم المَدْخَلَ لم يَقْدِرُوا عليهم ابدًا وفيه عيونٌ ونخلٌ ومياهٌ وعلمُ بنى الصادِرِ يُوَاجِهُ العمران (القَنَوَيْنِ .l) تِلْقَاءَ الحاجِرِ قال ولا ادرى اهو الذى قبلَه أَم أَخَرُ وعَلَمُ السَّعْدِ ودَجُوجٌ جبلانِ من دُومَةَ على يومٍ وهما جبلانِ مُنِيفانِ كلُّ واحدٍ منهما يَتَّصِل بالآخَرِ ودَجُوجٌ رَمْلٌ متّصِلٌ مَسِيرَةَ يومَيْنِ الى دُونِ تَيْمَاءَ بيومٍ. Verisimile est, hîc primum illum montem, etiam *Abān*um dictum, spectari. Quo autem probem emendationem, in loco descripto propositum, necesse est ut etiam haec, quae in v. قنوان leguntur, adducam: قنوان تَثْنِيةُ قَنًا وهما عُوَارِضٌ وقَنًا سُمِّيَا قَنَوَيْنِ لعادتهم فى تَثْنِية الشىء ومُقارِنِه كالقَمَرَيْنِ والعَمْرَيْنِ وقيل جبلانِ تِلْقَاءَ الحاجِرِ لبنى مُرّة من غربىّ الحاجِرِ *

[a] In Cod. scriptum est حُطَم; sed quum manifestum mihi videatur, formam pluralem حطم hîc ad singul. حَطِيمٌ referendam esse, et quum a formâ فَعِيلٌ saepe quidem plurale فُعُلٌ ducatur (ut سُرُرٌ a سَرِيرٌ, نُذُرٌ a نَذِيرٌ), nunquam vero فُعَلٌ, haud dubitavi illud pro hoc substituendum esse. Nomine الحُطَم poëta hîc diversas partes septi, quo Templum Mecca*num* includitur, significat.

[b] Alloquitur hîc, solenni poëtarum Arabum more, *duos* amicos, quos sibi hoc carmen fundenti praesentes adesse fingit. [c] In Cod. male scriptum est جئتنهما; sed metrum, non minus quam loci ratio, indicat, ita ut feci corrigendum esse. [d] Male in Meninskii

تَجِدَانِي عندها رَهْنَ هَوًى وعُهُودٍ لِلتَّصَابِي قُدُمٍ[a]
عَائِذًا طَوْرًا وطَوْرًا لائِذًا بِحِمًى مَنْ حَلَّهُ لَمْ يُضَمِ

وله ايضا

(الرمل) يا نُزُولًا[b] بين سَلْعٍ وقُبًا[c] جِئْتُكم أَسْعَى على شِقَّةِ بَيْنِ

---

et Freytagii Lexicis الملتزم, bene autem apud Giggeium et Castellum الملتزَم scribi, manifesto apparet ex his Lexici Geogr.: الملتزم بالضم ثم السكون وتاء فوقها نقطتان مفتوحة ثم زاى مفتوحة ويقال له المُدَّعَى والمُتَعَوَّذُ وهو ما بين الحَجَر الاسود والباب من الكعبة المعظَّمة بمكّة *

[a] Forma قُدُمٌ hîc pluralis est ducta a قَادِمٌ, *praeiens*, *praecedens:* loquitur enim de *pactis quae praecesserant ardentem suum amorem*, id est, *quae secutus* sive *ex quibus nexus fuerat ardens suus amor.* [b] نُزُولٌ hîc non infinitivus est sed plurale participii نَازِلٌ: conf. *Spec. Crit.* mei p. 121 ann. 174, et فتوح مصر ed. Hamakeri p. 97 vs. 6. [c] De duobus locis hîc commemoratis sequentia offert Lexicon Geogr.: سلع بالفتح ثم السكون قيل جُبَيْلٌ بسُوقِ المدينة وقيل موضعٌ بقُرْب المدينة والمشهور أَنّه الجبلُ الذى على باب المدينة وسَلْع حِصْنٌ بوادِى مُوسَى بقُرْب بَيْتِ المَقْدِسِ وسَلْع جبلٌ ببلادِ هُذَيْلٍ وسِلْع بكسر السين مَوَاضِعُ مَنْسوبةٌ بالبادِيَة وذو سَلَع بالتحريك موضع بين نَجْدٍ والحِجَاز. Et in v. قبا haec: قبا بالضمّ قريةٌ قُرْب المدينة وقُبا اسمُ بِئْرٍ بها وهى مَسَاكِنُ بنى عمرو بن عَوْف من الأَنْصار على ميلَيْن من المدينة على يَسَارِ القاصِدِ الى مكّة وفيها مسجدُ البَقَوِيّ عامِرٌ قُدَّامُه وصَيْفٌ حسنٌ وأَبْآرٌ ومياهٌ عَذْبَةٌ وقُبا ايضا مدينةٌ من ناحيةِ فَرْغانة قُرْب الشَّاش. Ex hoc loco non apparet, quae *terminatio* nomini illi قُبا tribuenda sit; at ex collatis inter se Gauharīi Lexico, 'al-Qāmūso et Jāqūti المشترك, hoc mihi efficiendum videtur, alios pronuntiasse قُبَاءٌ, alios قُبَاءُ, alios قُبًّا, et alios denique قُبَا; atque ex primâ quidem et tertiâ pronuntiandi ratione nomen illud *masculine*, ex

وَنَعَمْ وَاللهِ آتِى زَائِرًا لِمَعَانِيكم على رَأْسِى وعَيْنِى[a]
إِنّ مَنْ أَمَّ حِمَاكم آمِلاً رَاحَ بالمأمول مَمْلُوءَ اليَدَيْنِ
فَٱشْفَعوا لى قد تشفَّعْتُ بكم بوِصَالٍ وٱتّصَالٍ دائمَيْنِ[b]

من أَبْيات

(الكامل) يا جِيرَتى بين الحَجُون الى الصَّفَا[c] شَوْقى اليكم مُجْمَلٌ ومفصَّلُ
أَهْوَى دِيَارَكُمْ ولى بِرُبُوعِها وَجْدٌ يُثَبِّطنى وعَهْدٌ اوّلُ
ويَزِيدُنى فيها العَذُولُ صَبَابَةً فيَظَلُّ يُغْرِينى اذاما يَعْذُلُ
ويقولُ لى لَوْ قد تبدَّلْتَ الهوى فاقولُ قد عَزَّ الغَدَاةَ[d] تَبَدُّلُ

---

secundâ et quartâ *feminine* fuisse constructum. Quod tamen de solo illo pago Medīn*ensi* valet: nam nomen oppidi istius, ad Fergāna*e* ditionem pertinentis, utpote peregrinum, haud aliter quam قُبَا efferri potuit. Conf. etiam لبّ اللباب in v. القباوىّ.

[a] Vox مَعْنًى, quae proprie de *significatione* verborum usitatur, saepissime apud poëtas latiori sensu adhibetur de *internâ potestate* cujuslibet rei ac de *vi quam in alias res exerceat.* Hîc igitur dicit, *se*, *cum jam nunc celeri itinere dimidium ad ipsos viae spatium emensus esset, sine dubio mox adventurum esse visitatum ipsos et loca ipsorum, quorum tanta vis esset in mentem et oculos suos.*

[b] In hoc disticho verba قد تشفّعت بكم pro parenthesi habenda, et sequentia بوصال الخ cum primis فاشفعوا لى conjungenda sunt, hunc in modum: *Deprecamini, quaeso, pro me — ego si pro me ipso deprecor, ad vestra provoco insignia merita — provocantes ad consortium animique conjunctionem, quae mihi vobiscum sunt perpetua.* Vis praepositionis ب in constructione verbi شفع egregie apparet ex loco libri فتوح مصر, ed. Hamak. p. 115 vs. 2 a f.

[c] الحَجُون et الصَّفَا, tanquam nomina duorum collium ad Mecca*m* sitorum, notiora sunt quam ut quidquam de iis adjiciam.

[d] الغَدَاةَ hîc synecdochice, credo, pro اليَوْمَ sive الآنَ positum est. Respondet igitur, rogatus quidni amorem mutaret: *difficile mihi jam nunc (post tantum temporis spatium) factum est amorem mutare.*

بالله قُلْ لى كيف تَحْسُنُ سَلْوَتى عنها وحُسْنُ تصبُّرى هل يَجْمُلُ
وكانت وفاته بالمدينة الشريفة عن ثلاث وسبعين سنةً تغمّده
الله برحمته *

De altero, Šarafo'*d*dīno 'ibn-'Asākir, mortuo a. 699, ibidem (MS. p. 180) hoc breve capitulum legitur:

وفيها (سنة تسع وتسعين وستّمئة) توفّى المُسْنِد شَرَف الدين
ابو الفَضْل احمد بن هبة الله بن احمد بن محمد بن الحسن
ابن هبة الله بن عبد الله بن الحسين بن عَسَاكِر الدمشقىّ
جَلِيلٌ مَهِيب، أَصِيلٌ نَسِيب، مُحدِّثٌ خَبِير، معمَّرٌ كَبِير، سمع كثيرًا
من حديث سيّدِ الانَام، وٱنْتهى الى عَلْوِ[a] الإسْنادِ فى بلاد الشَّام،
وحدّث بالصَّحِيحَيْن[b] وغيرهما مَرَّات، ونال ببَرَكةِ السُّنّة
الشريفة جُمَلًا من المَبَرَّات، تَمَتَّع بعُمْرٍ ساقَ المِلْكَ[c] الى مُدَده
مَدَدًا، وسمع منه الحُفّاظ وخلقٌ لا يُحْصَوْن عَدَدًا، وهو من
مشايخ والِدى فى الحديث وكانت وفاته بدمشق عن ثلاث
وتسعين سنةً تغمّده الله برحمته *


Ex diversis igitur, quos hîc descripsi, locis jam *ea pars* tabulae genealogicae, supra exhibitae, quae ad posteros *Mohammed*is *'ibno-'l-Ḥasan* pertinet, hunc in modum augeri et amplificari potest:

---

[a] Sic non dubitavi legendum esse pro وانتهى اليه عُلوّ, ut in Cod. scriptum est. Apparet enim voluisse auctorem: *et ad summum pervenit fastigium in disciplinâ Traditionis cum continuâ nominum serie ad ipsum Mohammedem referendae.*

[b] Nempe الجامع الصحيح للبُخارىّ ولمُسْلِم.

[c] In Cod. huic voci nulla vocalis adscripta est; apparet tamen, credo, eam sic pronuntiandam esse, ut *possessionis* notio ei subsit. Propria enim vis verborum est: *diuturnâ vitâ est fruitus, cujus longis spatiis facultates attulerunt suppetias*, id est, *non defuerunt ad beatitatem complendam.*


Mohammed ʿibno-'l-Hasan
Tāgo-'l-ʿomanā. ʿAhmed
† 610.
Zaino-'l-ʿomanā.
ʿal-Hasan
544—627.
Facro'ddīn ʿAb-
do'rrahmán
550—620.
ʿAbū-Naçr ʿAb-
do'rrahīm.
ʿIzzo'ddīn Mo-
hammed
† 643.
Mahmūd
Motaffar
Bahā.o'ddīn
ʿAbū-Moham-
med ʿal-Qā-
sim
629—723.
Naçro'lláh
Facro'ddīn
ʿAbū-'l-Fath
ʿIsmāʿīl
629—711.
Hibato'lláh
Šarafo'ddīn
ʿAbū-'l-Façl
ʿAhmed
606—699.
Nitāmo'ddīn
ʿAbdo'lláh
† 645.
Rocno'ddīn
ʿAbdo'llatīf
† 644.
ʿAbdo'lwahhāb
ʿAmīno'ddīn
ʿAbū-'l-Jomn
ʿAbdo'çç amad
614—687.
Qotbo'ddīn Mas-
ʿūd.

LIBER TERTIUS

COMMENTARIORUM

HENRICI ENGELINI WEIJERS

DE

CODICIBUS MANUSCRIPTIS ORIENTALIBUS BIBLIOTHECAE LEIDENSIS,

CONTINUATUS.

SUMMA OPERIS

دُرَّةُ الأَسْلاك فى دَوْلَةِ الأَتْرَاك,

CONSCRIPTI AB

AL-ḤASAN*E* 'IBN-'OMAR 'IBN-ḤABĪB,

ET A FILIO EJUS,

ṬĀHIR*O* — — 'IBN-ḤABĪB,

CONTINUATI.

EX CODICE BIBLIOTHECAE LEIDENSIS 425 MAGNAM PARTEM EXCERPSIT

ALBERTUS MEURSINGE,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCTOR, ADJUTOR INTERPRETIS LEGATI WARNERIANI.

RELIQUIS LOCIS OMNIBUS SUPPLETIS, ET QUAE PORRO ADJICIENDA VIDEBANTUR ADJECTIS, EDIDIT

H. E. WEIJERS.

H. E. WEIJERS

LECTORI SALUTEM.

Inter opera ab Arabibus conscripta, quae ad historiam litterariam hujus gentis illustrandam subsidio sunt, haud infimus sane locus tribuendus est ei ʿal-H̲asan*is* ʾIbn-H̲abīb*i* libro, cui nomen imposuit دُرَّةُ الأَسْلاكِ فِي دَوْلَةِ الأَتْرَاكِ, *unionem funiculorum de imperio Turcarum.* In quo libro res memorabiles, quae acciderunt ab eo inde tempore, quo Aegypti imperium ad Mamlūc*os* Turcicos (vulgo Bah̲rī*ticos* appellatos) devenit, ita notavit, ut annorum seriem secutus, primo semper loco res politicas attingat, tum non raro etiam alia minoris momenti diversique generis commemoret, ac postremo in separatâ sectione de iis exponat hominibus, qui, sive muneris splendore seu meritis suis conspicui, eo anno supremum diem obiissent. Exordium igitur scribendi auctor duxit ab anno Ar. 648, quo summa potestas, quae in Aegypto et Syriâ per octoginta annos Aijūbī*darum* fuerat, his ademta et primo e Mamlūk*is* Sultano, ʿal-Malico-'l-Moʿizz*o* Aibec*o*, delata fuit. Et ipse operis titulus jam indicat, eum praecipue de iis rebus egisse, quae cum vitâ eorum Principum

conjunctae essent et intra terminos ipsorum imperii accidissent: unde longe quidem abest, ut hoc libro universalis quaedam historia illius de quâ agat aetatis contineatur; at multo tamen plura etiam offert, quam quae ad solam Mamlūc*orum* stirpem et ad vicissitudines horum regni illustrandas pertineant. Inter prima igitur, quae de singulis annis notavit, non tantum haec sunt: quis, mortuo Sultano, ex eâdem familiâ in imperium successisset, aut qui viri in Aegypto et Syriâ majori aliquâ dignitate a Sultano ornati essent, quae bella cum quibus hic gessisset, et quae illustriora patrasset aut aliis exsequenda mandasset; verum passim quoque addidit, qui in vicinis terris novi Reges aut dynastae exstitissent, et quae graviora ibi locum habuissent. Tum inter reliqua, quae diversi generis attigit, non intra solas etiam Aegyptum et Syriam se continuit, sed haud pauca insuper commemoravit, quae sive in Arabiâ, ·al-ʿIrāq*o* et Mesopotamiâ, sive in Asiâ Minori, seu in Mauritaniâ, insolita et mira accidissent, aut prae caeteris certe notabilia gesta essent. Ac similiter in separatâ illâ sectione, quâ singulorum annorum historiam terminavit, non eorum tantum illustriorum hominum mortem notavit, qui intra fines imperii Mamlūc*orum* vixerant (etsi horum quidem longe major est numerus), sed praeterea de multis aliis mentionem fecit, qui in finitimis regionibus sedem habuerant.

Auctor ipse hunc librum persecutus est ad illius usque anni finem, qui mortem ipsius biennio antecessit, id est, ad a. Ar. 777 [a]. Ab anno inde 778 filius ejus, Tāhir ·ibn-Ḫabīb,

---

[a] Quatremère*us* in praeclaro opere: *Histoire des Sultans Mamlouks de l'Égypte*, peculiari capite appendicis quam posteriori parti tomi

patris telam ad eandem plane normam pertexuit, et ipse substitit in anno 801. Centum igitur et quinquaginta quatuor annorum historia hoc opere comprehensa est: quae si accurate et severe elaborata esset, nihil sane optatius foret, quam ut illud integrum in lucem ederetur. Verum ea laus longissime abest ut 'Ibn-Ḫabībo possit tribui, utpote qui multo majorem operam in ornandâ et fucandâ oratione suâ, quam in ipsis rebus quas tractaret, perspicue describendis et ab omni parte explicandis, posuerit. Totus liber elatâ et reso-

---

primi adjunxit, de auctore hujus libri accurate exposuit multaque de vitâ ejus ac diversis operibus retulit (p. 204—209). In pag. 208 et seq. de hac ejus historiâ haec scripsit: »De toutes ses compositions, la plus importante, sans contredit, est l'histoire que contient le manuscrit arabe 688, et qui renferme le récit des événements dont l'empire musulman avait été le théâtre, depuis l'année de l'hégire 648 jusqu'en 678. — — — L'auteur ne survécut que d'une année à la composition de son livre; car il mourut à Alep, le vendredi, vingt-et-unième jour du mois de Rebi-second, l'an 779, à l'âge de soixante-dix ans. Alizz-Tâher, fils de l'écrivain, continua l'histoire de son père." In quibus verbis manifesto quidem apparet, per typothetae errorem numerum 678 pro 778 positum esse, verum etiam post correctum hoc mendum unius tamen anni discrimen inter hanc Quatremèrei relationem et nostram superest. Quod eo magis animadvertendum videtur, quoniam Ḥāǧī-Ċalīfa quoque, in Lexico suo bibliographico de hoc opere agens, eundem ac Quatremèreus annum notavit. Sic enim illius loci initium se habet: درة الاسلاك فى دولة الاتراك لبدر الدين حسن بن حبيب الحلبى المتوفى سنة تسع وسبعين وسبعمائة وهو تاريخ مرتب على السنوات فى مجلد اوله الحمد لله المبيد الـــوارث الخ ابتدأ فيه فى سنة ثمان واربعين وستمائة وانتهى

nanti prosâ conditus est, ac plerisque in locis multa quidem et difficilia verba, at jejunum et inanem sensum, sub turgidis his involucris latentem, offert. Unde ipsi quoque Arabes de historico hujus operis pretio haudquaquam magnifice statuisse, et nonnulli eorum etiam severius de eo judicasse videntur. Sic, teste Ḥāgī-Ćalīfâ (in v. الاسلاك دُرّة), Abū-'l-maḥāsin in opere suo notissimo المَنْهَل الصافى, sequentia de ejus auctore scripsit: وربّما كان اذا ضاقَتْ عليه القافِيَةُ يَذُمّ

الى آخر سنة ثمان وسبعين وسبعمائة. Accedit, quod tum Parisiensis Codex 688 (vide *Catal. B. Reg.* I. p. 172 b.), tum Oxoniensis 819 (vid. Uri*i* *Catal.* p. 178 b.), hunc librum ita continere leguntur, ut ab anno inde 648 incipiens, in anno 778 desinat. Ut igitur in utroque illo Codice ipsius tantum patris opus descriptum esse, et filii appendicem non exstare, evidens est, ita ex hoc argumento certissime consequi putares, illum non ad anni 777 sed ad 778[1] finem historiam suam perduxisse. Et annotatio tamen, quae in margine nostri exempli (p. 603) ad ipsum *initium* anni 778 scripta est (vid. infra), et quam *eodem illo loco* etiam in Codice Oxoniensi 739 offerri, Pusey*us* in *Catal. B. Bodl. P. II.* p. 593 b. retulit, diserte docet, jam ab illo inde anno appendicem filii incipere. Res ergo sic componenda videtur, ut pater etiam annum 778 reverâ inchoaverit, sed pauca tantum de eo perficere potuerit, aut certe, senio impeditus, haec non ita ut reliqua elaboraverit: quae ergo filius deinde, cum operis continuationem susciperet, denuo tractanda sibi sumserit, itaque hinc appendicis suae exordium duxerit. — Caeterum Pusey*us* l. l. jam notavit, De-Rossi*um* in *Dizionario storico degli Autori Arabi* (p. 44, in v. *Badreddin*), inde quod hoc opus ultra initium saeculi noni Arabum procedere legisset, perperam coëgisse, ipsum al-Ḥasan*em* ibn-Ḥabīb ad illud usque tempus in vitâ mansisse.

المشكورَ ويَشْكر المذمومَ لمّا أَلْزم نفسَه فى جميع تاريخه بهذا النَّوْع السافِل فى فنّ التاريخ, *saepe, ubi difficile ipsi erat resonantia vocabula invenire, vituperavit quod laudandum, et laudavit quod vituperandum erat, quum in totâ historiâ suâ continenter hoc dicendi genere usus sit, quod in historici argumenti libris vile est;* atque in alio ejusdem operis loco: انّما هو رجلٌ مَقْصَدُه تركيبُ كلامٍ مسجّع لا غيرَ, *vir ille fuit qui nullum aliud sectabatur propositum quam verba componendi sibi invicem resonantia* [a].

Ut igitur integri quidem hujus libri editio multo operosior quam utilior futura esset, ita summa tamen argumenti ejus tanti momenti est, ut necessario ad notitiam omnium, qui Arabicis Litteris operam dant, perferri debeat. Licet enim auctor in rerum gestarum *expositione* magis insulsi et ridiculi rhetoris quam accurati et sobrii historici exemplum sit, quis tamen non magni ducat, *ipsas* illas res, ut *suo quaeque anno* hîc notatae sint, cognoscere? Et, si vel reliqua omnia, quae in amplo hoc chronico commemorata sunt, aut nunc jam aliunde nota essent, aut melius deinde ex aliis auctoribus disci possent, etiam tum una certe virtus ejus maximam ei commendationem factura, et propter hanc solam in summo pretio habendum esset. Nimirum sectio illa, in quâ, ad singulorum annorum finem, de notioris famae hominibus, qui tum mortem obiissent, exposuit, tam ingentem quoque numerum doctorum virorum, qui in diversis disciplinis excelluerant, continet, ut paucissimi libri sint, qui aeque praeclarum adjumentum ad historiam litterariam certae alicujus aetatis explicandam afferant. Uti vero omnium,

[a] Conf. etiam Quatremèrei liber modo laudatus, I. 2 p. 209.

de quibus sic relatum est, nomina generisque origo perquam accurate et copiose sunt tradita (solet enim 'Ibn-Ḫabīb in genealogiis referendis largus esse), ita in ornatâ oratione quâ merita eorum et laudes praedicavit, plerorumque vitam certe aliquâ ex parte illustravit, praecipua ejus momenta leviter tangens; ac porro in fine articulorum [a], si quidem ipse rescivisset, semper addidit, quo quisque loco occubuisset, et quot aetatis annos habuisset. Tales de mortuis articuli in universo opere, ut in nostro Codice offertur, sunt numero 1321, quorum in ipso patris libro 1181, in supplemento autem Tāhiri 140. Ex quibus omnibus si vel dimidia tantum pars de viris litteratis Litterarumve fautoribus ac patronis agere existimetur, nemo profecto non sentiat, quantum hinc lucis ad illustrandum breve illud spatium 154 annorum peti possit.

Itaque, ut hujus libri utilitas, cujus pauca tantum exempla in Bibliothecis Europaeis exstare videram [b], magis ad

---

[a] Horum alii longiores, alii breviores sunt: in longioribus fere de iis agitur viris, qui poëticâ facultate aut elegantiori prosâ excelluerant, et quorum ergo poëseos aut grandioris stili specimina hîc ab auctore adducta sunt. Permulta quoque tum aliorum poëtarum, tum sua carmina passim in medio posuit, quae in eorum de quibus ageret honorem, aut ad mortem eorum deflendam, facta essent. Qualia per totum librum dispersa, difficultatem ejus non parum augent: in filii tamen appendice multo quam in ipso patris opere pauciora sunt.

[b] E Catalogis editis mihi sequentia tantum innotuerunt: Bibliothecae Regiae Parisiensis n. 688 et Bodlejanae n. 819, qui Codices, ut supra jam dixi, patris opus sine appendice continent; ac porro hujus ejusdem Bibliothecae Cod. 750 (Uri p. 166 a.), qui *primum* operis tomum, Cod. 744 (Uri p. 164 b.), qui *secundum*,

omnes Litterarum Arabicarum studiosos redundaret, Meursingeo meo auctor fui, ut summam argumenti ejus e nostro praestantissimo Codice eum in modum excerperet, ut, cum praecipuam quidem rationem haberet eorum, de quibus modo dicebam, articulorum, et *omnium* igitur hominum, de quibus in his exponeretur, nomina accurate describeret, reliquos tamen etiam articulos, qui sive de politicis rebus sive de aliis cujuscunque generis agerent, non plane intactos relinqueret, sed potissimos certe eorum, si sine magno labore paucis verbis possent contrahi, in brevem hanc ἐκλογὴν una reciperet [a]. Lubens ille fecit quod suaseram, et susceptum opus summâ cum curâ persecutus brevi ad finem perduxit. Quod postquam ille praestiterat, ego, quo certior hujus epitomes fides esset, omnia quae scripserat, denuo cum Codice contuli, et paucos quidem errores, a diligenti et erudito excerptore

---

et Cod. 739 (Uri p. 164 a., coll. Puseyi annot. II. p. 593 b.), qui *tertium* sive *ultimum* ejusdem tomum cum filii appendice exhibet; denique Cod. 741 (Uri p. 164 a.), quo itidem pars tantum libri, et quidem ab anno 678 ad a. 748 (nostri Codicis p. 68—444), comprehensa est.

[a] Annotavit H̱āgī-Ċalīfa̱ (in loco jam supra laud.), inter ipsos quoque Arabes fuisse, qui epitomas hujus operis fecerint, aut selectos certe locos inde excerpserint. Sic enim ille: وللشيخ زين الدين قاسم بن قُطْلُوبغا الحنفىّ المتوفى سنة تسع وسبعين وثمانمائة مُنْتَقَى دُرّةِ الأَسْلاك ولابن خَطِيبِ الناصِريّة ايضا مُلَخَّصُه. De posteriori viro hîc commemorato, qui mortuus est a. Ar. 843, conf. idem scriptor in v. بغية الطلب فى تاريخ حلب, edit. Flügel. T. II. p. 60, et Hamakeri *Spec. Cat.* p. 237 ann. 691.

commissos, correxi, multo plura vero ipsius Codicis menda passim in annotatione restitui. Praeterea, cum Meursinge*us* defunctorum virorum, ex quibus vix ullum omiserat, non nomina tantum accuratissime descripsisset [a], sed aetatem quoque addidisset, ubicunque haec in Codice expressa esset: ego insuper regionis àut urbis pagive nomen, ubi quisque mortuus esse hîc legeretur, adjeci, ut lectori appareret, in quo loco aut tractu extremam certe vitae partem exegissent. E reliquis diversi argumenti articulis haud paucos etiam in suam *ἐκλογὴν* Meursinge*us* receperat, plerosque tamen omiserat, aut minoris momenti aut contractu difficiliores ipsi visos: hos omnes, ne uno quidem excepto, supplevi, hac consideratione ductus, uti maximam hujusmodi epitomes virtutem in constantiâ positam esse, ita non magis sibi constare eam posse, quam si prorsus absoluta esset et *omnes* igitur ipsius operis locos attingeret: fateor quidem, sic multa leviora addenda fuisse; veruntamen haec quoque, accurate suis annis notata, non raro sive ad singulorum hominum sive ad Civita-

---

[a] In nonnullis locis, ubi longiores genealogias paululum contraxerat (signo tamen omissionem indicans), ego satius duxi, omnia nomina, ut ab 'Ibn-Ḫabīb*o* essent tradita, *plene* exprimere. Quod constanter ergo factum est, solis exceptis iis locis, in quibus eadem genealogia, quae paullo superius jam descripta esset, denuo *iisdem verbis* repeteretur, ita ut nihil aliud opus esset, quam antecedentem illum locum lectori in annotatione indicare. Supra jam dixi, 'Ibn-Ḫabīb*um* in virorum stirpe enarrandâ perquam copiosum esse: quae res quanti momenti in Arabum historiâ habenda, et quam plane necessaria sit ad multos homines, quorum ut ipsorum, ita etiam patrum ac vel avorum, nomina inter se convenirent, a se invicem distinguendos, nemo harum rerum peritus infinitis exemplis non viderit.

tium et Litterarum historiam elaborandam magno sunt usui[a]. Ac denique, ut ex idoneo specimine posset effici, ad qualem normam totus hic liber sit compositus, et quomodo diversi singulorum annorum articuli inter se conjuncti et ordinati sint, praeter ipsum exordium ea quoque integra descripsi, quae de *primo* anno (648) ab auctore exposita sunt, epitomes ergo initium ad annum sequentem rejiciens.

Superest tantum, ut quod de Codice nostro notandum videatur, hîc praemittam: quae de auctoris enim vitâ ac diversis scriptis, de patre et fratribus ejus, in ipso hoc libro sunt prodita, et quorum parte saltem adhuc compleri possunt ea, quae Quatremère*us* loco supra laudato (p. 198 in ann. *a*) de hoc argumento jam diligentissime collegit; haec igitur tum potius in medio ponam, postquam ex ipsâ quae praecesserit epitome lectori apparere potuerit, qui maxime loci huc spectent. Opportunitas tum quoque erit severius examinandi miram illam Ȧẖmed*is* ·al-Ȧsqalānī relationem, a Quatremère*o* in p. 205 citatam, ex quâ ipse in p. 209 non dubitavit efficere, etiam avum hujus ·al-Ḫasan*is* ·ibn-Ḫabīb, eodem plane titulo et nomine quo hunc appellatum (Badro'*d*-dīn*um* ·al-Ḫasan*em* ·ibn-ʿOmar), historicum librum elato stilo composuisse, inscriptum درّة الاسلاك فى دولة الاتراك, quem, ipso mortuo, continuaverit filius ejus, *Tāhir* vocatus: ita ut et duo fuerint ·al-Ḫasan*es*, qui opus, hoc insignitum titulo,

---

[a] Sic ex. gr. a Meursinge*o* omnes illi loci praetermissi erant, in quibus de ***Summis Judicibus*** a Principe constitutis ageretur: et saepe tamen haudquaquam scire inutile est, qui viri, et quam Jureconsultorum sectam sequentes, quoque tempore hoc gravissimo munere in diversis regionibus functi sint.

scripserint, et duo etiam Tāhirī, illorum filii, qui librum paternum appendice auxerint. — Quae porro de partitione hujus operis in tres tomos[a], de exordio singulis his tomis ab auctore praemisso, ac de anno quo singuli absoluti sint, hîc memoranda forent, commode cum ipsâ Codicis nostri descriptione conjungentur, et pars certe eorum vix separatim ab hac tradi posset.

Nostrum igitur hujus libri exemplum inter Codices Orientales est n. 425, et in Catalogo edito sub n. 1807 commemoratum est[b]. Foliis constat semel plicatis minoribus; charta est gossypina tenuis, subflava et nitens; ligatura ante paucos annos renovata, quae partim e corio et partim e duriori chartâ confecta est. Totum opus uno volumine comprehenditur, cujus paginae (praeter sex illas, quae inter secundum et tertium tomum vacuae relictae sunt) numero sunt 712. Ab initio ad finem unâ manu, mirum quam constanti et perspicuâ, scriptum est, charactere نسخی, litterarum ductu minusculo. Praeter hanc tamen ipsius librarii pulcherrimam manum etiam duae aliae passim in marginibus se offerunt, quarum altera illius est, qui Codicem cum autographo auctoris se contulisse testatur, altera recentioris ejus possessoris. Ex his prior etiam satis composita et perspicua est, posterior

---

[a] Quod de Codice Parisiensi in Catalogo (p. 172) notatum est, *in duas eum partes* divisum esse, minime in hunc sensum accipiendum videtur, ut alia operis partitio in illo exemplo se offerat, sed simpliciter, credo, significat, illud *duobus voluminibus* constare.

[b] Causa, cur ibi male *sectionem primam* tantum operis continere legatur, mox evidens erit, si de inscriptione dixero, quae in primo folio offertur.

vero longe rudior et difficilior. Hanc brevitatis causâ *possessoris*, illam *collatoris* manum vocabo. Caeterum Codex optime conservatus, et solum primum folium per vetustatem aliquantulum tritum est: unde, cum in versâ ejus paginâ liber ipse incipiat, paucissima exordii ac descriptionis primi anni vocabula nunc tota aut ex aliquâ parte interierunt [a]. Et praeterea per bibliopegi imprudentiam foliorum margines tam late desecti sunt, ut complura verba, quae collatoris manu in extremis eorum oris scripta fuerant, plane evanuerint, et annotationes ergo, quarum pars haec essent, nunc mutilatae sint: quae res jam in ipsâ paginâ secundâ, et inprimis etiam in p. 14 et 228, molesta est.

Titulus huic operi nullus a librario praefixus est, qui rectâ igitur paginâ folii primi vacuâ relictâ, in ipsâ *summâ* parte paginae versae tam simplicem in modum incepit, ut non novum inchoari librum, sed jam prius inceptum continuari, putares. Postea tamen possessor Codicis in vacuo illo loco hanc inscriptionem posuit: الجزؤ الاول من ثلاث مجلّدات من كتاب درة الاسلاك فى دولة الاتراك تاليف العلامة ابن حبيب رحمه الله السميع المُجيب آمين آمين وَرَقْ ١٢١. Et inferius idem [b] hanc notam addidit: من نِعْمة الله تعالى على

---

[a] Praeter hanc secundam paginam in duabus aliis (349 et 350), per scissam et nunc perditam unam chartae particulam, nonnulla verba exciderunt.

[b] Dubitari posset, num titulus ille, multo magis composite scriptus, reverâ ab eâdem manu atque haec ei subjecta annotatio, profectus sit. Mihi tamen id probabile visum est, collatis inter se compluribus locis, in quibus eadem haec manus jam rudiori et magis intricato, jam paullo meliori et magis distincto, littera-

العبد الحقير السيّد محمد بن السيّد نعمة الله بن الشيخ
عثمان الحنفىّ عُفِىَ عنهم فى رجب سنة ١٠١٨ *

Tomus *primus* operis, ût possessorem annotasse vides, 121 folia hîc complet, et a p. 2 igitur ad p. 242 procedit. Annos complectitur 648—714. Initium ejus infra, conjunctim cum historiâ anni 648, descripturus sum; finis autem ejus hic est auctoris epilogus: قال المولف نجز الجزء الاول من درّة الاسلاك فى دولة الاتراك [a] بحمد الله وتيسيره على يد جامِعه الحسن ابن عمر بن الحسن بن عمر بن حبيب احسن اللهُ عاقِبتَه فى ذى القعدة الحرام سنةَ ثلاث وسبعين وسبعمئة من الهجرة الشريفة النبويّة بمدينة حَلَب المحروسة. Quibus ipse librarius subjunxit: نُقل من خطّ المؤلّف ويَليه فى الجزء الثانى سنةُ خمسة عشر وسبعمئة وصلّى الله على سيدنا محمد وعلى آله وصحبه وسلّم. His vero, collatoris manu, qui in auctoris autographo solennem illam benedictionem ornatius elaboratam invenerat [b], sequentia inferius adscripta sunt: 'نبيِّ الرَّحْمه

rum ductu usa est. Ut in universum vero ad *titulos* scribendos summa ab Arabibus ars adhibetur, et contrà in tali, qualis haec est, annotatione etiam elegantiores librarii sordescunt: ita mirum esse nequit, si Codicis possessor in eâdem hac paginâ tum quod optimum ille posset praestiterit, tum pejus etiam quam pro more suo scripserit.

[a] Ex hoc igitur loco, itemque ex epilogo secundi tomi et ex hujus et tertii initio, manifesto apparet, ipsum auctorem hunc titulum operi suo dedisse, quem, ut infra videbis, in exordio non commemoravit.

[b] Nimirum librarius non totum descripsit auctoris epilogum, sed priorem tantum partem ejus: ut facile apparet collatâ annotatione, quam infra dicam ad subscriptionem tomi secundi adjectam esse.

وزَعِيمِ أُولِي العَزْمِ والعِصْمهْ، وعلى آله الأَطْهارْ، وأَصْحابه الأَخْيارْ، وسلّم تسليما كثيرا دائما الى يوم الدين *

Pagina, quae secundi tomi initium antecedit, rursus a librario vacua relicta est; at possessor Codicis hanc ei notam inscripsit: الحافظ زين الدين ابو القاسم عمر ابن بدر الدين ابى محمد الحسن ابن عمر ابن حبيب الدمشقىّ الشافعىّ والِدُ مصنّف هذا الكتاب توفّى رحمه الله تعالى بمدينة مَرَاغة حيثُ رحَلَ اليها لأَمْرٍ عرَض له فى سنة ٧٢٩ وكان عمرُه ٩٨ سنة   راقِمُه[a] السيّدُ محمد ابن السيد نعمة الله من هذا الكتاب تاليفِ ولدِ المُشَارِ اليه رحمهم الله تعالى فى ٢٨ رمضان المبارك سنة ١٠١٩ عُفى عنهم اجمعين آمين *

Tomus *secundus*, in summâ parte paginae 244 incipiens et desinens in p. 511, annos 715[b]—761 complectitur. Auctor eum exorsus est hac novâ praefatione: بسم الله الرحمن الرحيم الحمدُ لله الذى لا تاريخَ لأَزَلِيّته وقِدَمِهْ، ولا وُصُولَ لعِبْرِ البَحْرِ من جُوده وكَرَمِهْ، ولا نِهايةَ لِمُدّةِ بَقائه وآرْتقائِهْ، ولا طريقَ

---

[a] Obscurius quidem hoc vocabulum exaratum est, nec dubito tamen quin recte illud legerim. Vides vertendum esse: *Scriptor hujus (annotationis) est Mohammed filius Ni'mato*'llâhi, (*qui eam sumsit*) *ex ipso hoc libro* caet. Supra autem (in p. 184 ann. c) jam dixi, auctorem de patre suo retulisse ad annum mortis ejus 726; et locus igitur, qui in hac annotatione spectatus est, in pag. hujus exempli 304 et seq. offertur.

[b] Codex Bodlejanus 744, quo hunc secundum operis tomum contineri supra jam dixi, apud Urium (p. 164 b. seq.) legitur annos offerre 716 ad 761. Quod si recte ab hoc scriptum, nec per errorem, ut probabile videtur, numerus 716 pro 715 positus est, fortasse prima folia illius voluminis interierunt. Certe ejusdem Bibliothecae Cod. 750, in quo *primus* tomus exstat, prorsus ut in nostro fit exemplo, non ultra annum 714 procedit.

الى إِدْراكِ وَصْفِ عَظَمته وكِبْريائِه، والصلاةُ على نبيّه سيّدنا محمدٍ الحسنِ حديثُ تَأْيِيدِه ونُصْرتِه، المشهور تاريخُ مولدِه ومبعثِه وهجرتِه، وعلى آله وأَصْحابِه، وأَعْوانه وأَنْصاره وأَحْزابِه، وعليه وعليهم السلام، ما[a] وكَفَ الغَمَامُ وهتَفَ الحَمَامُ، وبعد فهذه أَوْراقٌ تشتمل على الجزء الثاني من درّة الاسلاك فى دولة الاتراك وهو كتابٌ يتضمّن ذكرَ الحَوادِث وموتِ الأَعْيان فِئةً بعد فِئة، لاَسْتقبال[b] دولةِ السلطان الملك المُعزّ أَيْبَك الصالحيّ المستقِرّة فى سنة ثمان واربعين وستّمئة، أَجْرَى اللهُ بنَصْرِ ملوكها الأَقْلَام، وحَمَى بسيوفهم الماضِيَة حِمَى الإِسْلَام، بمَنّه وطَوْلِه، وقُوّته وحَوْلِه.

In fine ejus haec exstat librarii subscriptio: نجز الجزء الثانى من درّة الاسلاك فى دولة الاتراك بحمد الله وتَيْسيره من خَطّ جامِعِه الحسن بن عمر بن الحسن بن عمر بن حبيب أَحْسن اللهُ عاقبتَه فى جمادى الاوّلِ سنةَ تسع وسبعين وسبعمئة وصلّى الله على سيّدنا محمد نبيّ الرَّأْفةِ والرحمةِ وعلى آله وصحبه وسلّم تسليما كثيرا الى يوم الدين وعلى الله نعتمد وبه نستعين آمين تمّ. Ex quibus verbis unum (جمادى) manifesto prodit aliam manum, quae pro pristino litterarum ductu, nunc eraso, novum substituit: et quum Grammaticae legi minus consentaneum videri possit, جمادى الاوّلِ quam جمادى الأُولَى scribere, fortasse quis putet, librarium ipsum non جمادى الاول, sed ربيع الاول, exarasse, ac deinde ab alio, qualemcunque ob causam, hujus mensis nomen in illius mutatum esse. Credo tamen, aliam quandam, et multo etiam faciliorem,

---

[a] Sic sine dubio legendum est pro وما, quod in Cod. scriptum est: ما enim hoc loco significat *quamdiu*, et ornatis quae sequuntur verbis nihil aliud quam *omni aevo* expressum est. Conf. infra p. 223 vs. 1 seq.

[b] Forma 10a استقبل (*obviam processit*), ut saepe significat *honoris causâ obv. proc.* (vide ex. gr. *Vitam Tīmūri*, I. p. 60 vs. 4 et 122 vs. 7), ita hoc loco *honorandi* et *condecorandi* potestatem habet.

hujus rei explicationem esse: nimirum librarium, uti in aliis hujus Codicis locis, ita hîc quoque scripsisse جمدى الاول, hanc autem imperfectam scriptionem collatori (nam *hujus* manum in renovato illo litterarum ductu mihi agnoscere videor) displicuisse, et hunc igitur pro جمدى plenius جمادى restituisse: quae suspicio egregie confirmatur collatâ Codicis p. 512, ubi in textu offertur جمدى الاول, sed in margine a collatore adscriptum est جمادى. Praeterea vero, ut infra dicam, etiam illud وسبعمئة non recte in hoc loco nunc haberi, sed per fraudem, cujus vestigia acrius intuenti adhuc apparent, ex وتسعمئة refictum videtur. — Ad hanc librarii subscriptionem, cujus prima verba (a نجز usque ad الاسلاك) in fine paginae 510, caetera vero in p. 511 exstant, *collatoris* manu in summo margine *hujus* paginae, supra verba من خط et sequentia, haec adjecta sunt: على يد جامعه الحسن بن عمر بن الحسن بن عمر بن حبيب احسن الله عاقبته فى ربيع الاخر سنة اربع وسبعين وسبعمائة للهجرة النبويّة الشريفة بمدينة حَلَب المحروسة يتلوه فى الجزء الثالث سنة اثنتين وستين وسبعمائة وصلّى الله على سيدنا محمد نبى الرافة والرحمة وعلى اله وصحبه وسلم تسليما كثيرا الى يوم الدين وعلى الله نعمد (نعتمد .l) وبه نستعين وهو حسبنا ونعم الوكيل كذا وجد بخط المصنف رحمه الله تعالى. Apparet igitur, libri auctorem etiam huic tomo similem ac primo subjecisse epilogum, quem ut ibi tantum ex parte descripsisset librarius, ita hîc totum omiserit, suam pro illo clausulam substituens: cujus tamen non prima tantum verba (نجز—وتيسيره) plane eadem sint, quae illius initium constituerent, sed reliqua quoque ad illius exemplum et effigiem sint composita [a].

---

[a] Quod praesertim in eo est conspicuum, quod librarius auctoris

Inter secundi tomi finem et tertii initium sex paginae vacuae relictae sunt. His igitur e numero exclusis, *tertius* tomus in summâ paginâ 512 incipit, et ad p. usque 712, sive ultimam Codicis, procedit, annos complectens 762[a]—801. Etiam hunc novo exordio auctor auspicatus est, quod sic se habet: بسم الله الرحمن الرحيم الحمدُ لله الدائم بقاؤُه ومُلْكُه، المَنُوط بقُدْرته خَلْقُ العالَمِ وهُلْكُه، الذى أَبادَ أَرْبابَ الدُّوَل، وأَلْحق الآخِرَ مــن الأُمَراء والمَأْمورين بالأَوَّل، وافضلُ الصلاةِ والسلَام، على سيّدنا محمد وآله وصحبه الكِرَام، وبعد فهذه اوراقٌ تشتمل على الجزء الثالث من درّة الاسلاك فى دولة الاتراك وهو كتاب ينتضمّن ذكرَ الحوادثِ وموتِ الاعيان فئةً بعد فئة، لاستقبال دولة السلطان الملك المعزّ أَيْبك الصالحىّ المستقرّة فى سنة ثمان واربعين وستمئة، ايّد اللهُ

---

nomini eandem illam formulam احسن اللهُ عاقبتَه subjunxit (p. 210 vs. 12 seq.), quâ eum ipsum sibi bene precatum esse viderat (p. 211 vs. 16). Nam formula illa (*bonum, felicem, reddat Deus exitum ejus*) de *vivis* usurpari solet, non item de *mortuis*: quare si, ut infra videbimus, hic Codex anno 979 (ducentis post auctoris mortem annis) descriptus est, mirum sane foret, quomodo librarius hîc 'Ibn-Habībo ceu adhuc viventi bene dixerit, nisi manifestum esset, eum imprudentem ipsa quae invenisset verba secutum esse.

[a] Tertius hic tomus, ut supra jam dixi, continetur Bodlejano Cod. 739. Qui a quo anno incipiat, non expressis quidem verbis addidit Urius (*Cat.* p. 164 a.); sed ex descriptione tamen ejus palam fit, eundem hunc annum cogitandum esse. Dicit enim: *Pars tertia, agens de quatuor ultimorum Mamlucorum Turcicorum rebus gestis* caet. Hi quatuor autem sunt: الملك المنصور محمد, qui *anno* 762, الملك الاشرف شَعْبان, qui a. 764, الملك المنصور على بن شعبان, qui a. 778, et الملك الصالح حاجى, qui a. 783 imperio potitus est.

ملوكها بنصره، وحمى بكلّ منهم حمى شامه ومصره، بمنّه وطوله، وقوّته وحوله *

In pag. 603, ad initium anni 778, haec exstat in margine ipsius librarii annotatio: تذييل من هذه السنة المباركة ابتداء تذييل سيّدنا ومولانا العالم العلّامة طاهر بن حبيب على ما تقدّم من تاليف والده سيّدنا الحسن بن حبيب تغمّدهما الله برحمته آمين. Quae annotatio, fere iisdem verbis in Bodlejano Cod. 739 oblata (vid. Puseyum p. 593 b.), et in hoc quidem *ipsius Tāhiri*[a] manu scripta, unicum est indicium, ab hoc inde loco alium quam al-Ḥasanem ipsum hoc opus continuasse. Nec enim ad finem anni 777 quidquam subscriptum, nec vel brevissimum exordium anno 778 praemissum est: et eodem porro ordine res pertractatae, eâdemque turgidâ ac resonanti prosâ descriptae sunt.

Denique in exitu totius operis, ad finem anni 801, haec legitur librarii subscriptio: وكان الفراغ من تعليق هذا الكتاب يوم الجمعة المبارك الحادى والعشرين من شهر شوّال من شهور سنة تسع وسبعين وسبعمائة. نقل من خطّ مؤلّفه غفر الله له ولكاتبه ولمن نظر فيه ولجميع المسلمين آمين تمّ. Quae igitur si sic ut nunc se habent, ab ipso profecta essent, absurdum hoc mendacium protulisset, se librum, cujus argumentum ad annum usque 801 procederet, *anno* 779 descripsisse. Verum, si accuratius vocabulum illud وسبعمائة exploratur, facillime apparet, etiam hoc loco, plane ut in subscriptione tomi secundi (vide p. 210 vs. 13), supra litteram س leve rasurae vestigium esse, ac punctum litterae ب paullo a reliquis diverso atramento exaratum, ipsamque hanc litte-

[a] Cujus tamen nomen ibi, per Puseyi, ut puto, errorem, male ظاهر pro طاهر exaratum esse legitur.

ram per novum ductum ejusdem pallidioris coloris superne ei additum, aliquantulum elevatam esse. Unde evidens est, recentiorem aliquem hominem, ut majus pretium hic Codex haberet, callide aetatis notam mutavisse, et ex وتسعمائة, quod duobus in locis ipse librarius scripsisset, facillimâ quidem arte, sed perquam hìc ineptâ et ridiculâ, وسبعمائة refinxisse: quâ fraude duorum saeculorum discrimen exsisteret.

Ex his igitur, quae jam in medio posui, sequentia effici vides: auctorem libri primum ejus tomum ad finem perduxisse Halebi, mense Dū-'l-qa'dâ anni 773 (p. 208 vs. 10), secundum tomum in eâdem urbe, mense Rabî'o posteriori anni 774[a] (p. 211 vs. 17). Deinde, hoc exemplum a librario qui nomen suum non prodidit, ex *auctoris autographo* descriptum esse (p. 208 vs. 12, p. 210 vs. 11 seq., p. 213 vs. 18), cui, ut videtur, etiam *suâ* ipse *manu* Tāhir illam appendicem subjunxisset. Porro, absolutum illud esse anno 979, et alterum quidem tomum mense Ġomādâ priori (p. 210 vs. 13), totum vero Codicem die Veneris, 21° mensis Šauwālis (p. 213 vs. 17). Ac denique, illud mense Ragabo anni 1018 cessisse 'Alîdae cuidam, nomine Mohammedi ibn

---

[a] Hunc ergo tomum sat magni ambitûs brevissimo *quinque mensium* tempore composuerit. Quod exiguum spatium in tam difficili tantâque arte elaborato opere tum solum explicari poterit, si sumas, auctorem illud maximam partem ex adversariis, jam antea a se paratis, tunc vero in concinnum ordinem redactis, descripsisse. Fieri tamen etiam potest, ut illud exemplum, ex quo nostrum fluxit, *apographum* tantum fuerit, ab ipso auctore ex antiquiori a se scripto exemplo ductum: in quo igitur non ipsius operis a se compositi, sed istius apographi absoluti tempus notaverit.

Ni:mato'llāh ·ibn ·Oṯmān (p. 208 vs. 1 seq.), qui certe die 28° mensis Ramaḍānis a. 1019 id adhuc possideret (p. 208 vs. 9 seqq.).

Quamvis ergo Codex noster inter reliqua hujus operis exempla, quae in Europâ servari compertum est, antiquitate non excellat [a], in praestantissimis tamen sine dubio habendus est, tum propter externum ejus nitorem et egregiam quâ scriptus est manum, tum propter auctoritatem, quam et origo quam prae se fert, et collatoris testimonium ei addunt. Nimirum alius quisquam totum hoc exemplum cum archetypo se contulisse refert: quod jam statim postquam scriptum erat, et ante etiam quam diversi quibus constabat foliorum fasciculi in unum volumen erant compacti, fecisse videtur. Haec enim causa est, cur testimonium illud, quum Codex ex fasciculis quinorum foliorum sit compositus, in vicesimae cujusque paginae fine repetitum legatur. In plerisque autem locis simpliciter his verbis constat: بُلِغَ مقابَلَةً (ut p. 18, 38, 58, 78, 98, caet.); in aliis scriptum est: بلغ مقابلة على اصله (ut p. 138, 436, 456, 476, 530, caet.); in aliis etiam longius: بلغ مقابلة على اصل (خطّ sive) المولّف (المصنّف sive) رحمه الله

[a] Codex Parisiensis, qui secundum Catal. (p. 172 b.) anno Christi 1573, id est, Arabum 980 aut sequenti, exaratus est, et Bodlejani 750 et 819, quorum alter a. 993, alter a. 991 scriptus esse legitur (Uri p. 166 a. et 178 b.), cum nostro fere ejusdem aetatis sunt; longe vero antiquiores sunt Bodlejani 739 et 744, quorum hic ab Urio (p. 164 b.) traditur a. 785 scriptus esse, itaque *sex* annis post mortem auctoris; et ille (si annotationi, a Puseyo p. 593 b. allatae, confidi potest) ab ipso Tāhiro, auctoris filio, exaratus est, inter annum igitur 802, quo hic appendicem suam, etiam in eo Codice operi subjunctam, absolverit, et annum 808, quo mortuus est. — De aetate Codicis Bodl. 741 ex Urii Catal. nihil constat.

(ut p. 238, 256, 276, 356, 396, 510); dum in p. 712, ad totius libri finem, hoc adjectum est: بلغ مقابلة على اصله فصحّ.
Dubitari ergo nequit, quin collatio illa super *eodem* exemplo instituta sit, ex quo ipse Codex a librario descriptus esset: et aeque certum videtur, ex *hac collatione* omnia ea fluxisse, quae nunc in paginarum margine eâdem illâ manu annotata exstant. Nempe, ut supra jam dixi (p. 206 vs. 18 seqq.), non una manus, sed tres diversae passim in marginibus se offerunt, ex quibus longe pulcherrima est ipsius librarii, altera, satis etiam composita, collatoris, et tertia, multo rudior, possessoris libri.

Quae *scriba ipse* ibi adjecit, duplicis sunt generis: vel enim quae in textu vitiose aut minus perspicue a se scripta erant, illic correxit aut repetivit (paucissimis tamen in locis, ut ex. gr. in p. 19 et 142); vel quae omisisse se viderat, sive singularia verba, sive longiores sententias, sive versus, illic supplevit (ut p. 33, 62, 102, 194, 299, 355, 365, caet.). Et praeterea in *uno* loco (p. 388) annotavit, lacunam a se relictam in ipso etiam archetypo reperiri (هكذا في الاصل)[a].

Multo plura *collatoris* manu adscripta sunt. Et primum quidem is per totum Codicem non pauca verba, mendose a librario exarata, correxit (ut p. 14, 26, 31, 41, 44, 73, 81, caet.). Tum nonnulla etiam, obscurius scripta, repetivit (ut p. 40, 51, 89, 111, 171, caet.). Tum quae omissa erant, plurima supplevit (ut p. 2 bis, 6 bis, 10, 13, 14, 16, 20, 24, 46, 61, 88, caet.). Tum, ubi vacua sunt in Codice spatia, haec etiam in auctoris autographo sic exstare retulit, vel simpliciter

---

[a] De brevibus paragraphis, ab eodem ad singulos libri articulos in margine adjectis, infra dicturus sum.

بياض in margine scribendo (ut p. 687, 689, 693, 695, 698, caet.), vel distinctius بياض صحيح (ut p. 650 et 662), et بياض وُجد فى الاصل sive بياض فى اصله (ut p. 7, 541, 593, 603, 641, 650, 651, caet. [a]). Tum denique in ingenti locorum numero, ubi a librario, externae sui apographi speciei parcente, spatium nullum relictum est et per verborum tamen sensum lacunam esse apparet, ille in margine annotavit, ibi in auctoris autographo reverâ spatia vacua exstare. Nempe ii loci fere omnes unius sunt generis, nec quidquam aliud in iis omissum est nisi numerus annorum, ad quem mortuus quis pervenisset [b]: solet enim auctor in fine eorum articulo-

[a] Ex paginarum numero jam Lectori apparet, has lacunas fere omnes in appendice Tāhir*i*, in quâ magna earum est copia, offendi. Quae autem in talibus locis addenda fuissent, plerumque vel nomina propria sunt quibus genealogiae complerentur, vel numeri annorum, vel specimina poëseos quae post praemissa verba وهو القائل sequi debuissent, sed scribenti non ad manum fuisse videntur. In ipso 'al-Ḫasan*is* opere tantum duo tresve loci sunt, in quibus similiter aut nomen aliquod aut specimen poëseos, quod addere voluerat, deëst: in infinitis autem locis, ut mox dicetur, is aetatem tradere non potuit, quam viri defuncti de quibus exponeret, attigissent, et propterea in autographo suo ibi lacunam reliquit. In Tāhir*i* vero supplemento, praeter illa vacua spatia, quae a collatore notata sunt, etiam haud pauca alia, partim majora, partim minora, se offerunt, ad quae in margine nihil adscriptum legitur (ut p. 618, 619, 637, 652, 653, 658, 682, 683, caet.). Et haec tamen etiam in ipsius autographo sic exstitisse, non dubito.

[b] Paullo diversi generis et sine dubio longiores sunt lacunae, quas, a librario itidem non indicatas, in fine duorum articulorum collator notavit, p. 605 et 607, haec verba adscribens: وهُنَا بياض فى اصله (فى الاصل).

rum, in quibus de illustriorum hominum morte exponit, accurate aetatem quam quisque attigisset, addere, hac formulâ utens: وكانت وفاته بكذا بَلَدًا عن كذا سَنَةً; et quoties igitur ei scribenti verus numerus nondum innotuerat, simpliciter inter vocabula عن et سنة locum reliquit, in quo postea supplere hunc posset. Jam librarius, ista spatia evitans, ibi plerumque voces عن et سنة ita inter se conjunxit, quasi nihil ad sententiam complendam deësset: et in his igitur locis (at non omnibus tamen) collator margini adscripsit, sive بياض (ut p. 9, 11, 12, 14, 15, 16, 33, 42, 43, 45, 47, 49, 50, caet.), sive بياض فى الاصل (ut p. 41, 45, 59, 79, 211); sive etiam paullo longiori annotatione eandem rem explicuit (p. 238, 246 et 256 [a]).

Quod ad ea attinet quae *possessoris* manu in marginibus adjecta sunt, horum exigua tantum pars alicujus est pretii. In quamplurimis ille locis ad versus, quorum sensus ipsi notabilis videbatur, adscripsit vocem تحفظ, id est تَحْفَظْ, *memoriâ teneas*, aut يُحْفَظْ, *memoriâ teneatur* (ut p. 13, 47, 51, 62, 68, 71, 81, 82, 88, 95, 97, caet.), et bis تنظر, id est تَنْظُرْ, *animadvertas*, aut يُنْظَرْ, *animadvertatur* (p. 44 et 433). In p. 31 annotavit, disticha quaedam, ibi ab auctore citata et notissimo poëtae Abū-'l-Faḍlo Zohairo ʼibn-Moḥammed ʼal-Miçrī tributa, in corpore poëseos alius poëtae, vulgo ʼIbno-'*n*-Nabīh*i* appellati, exstare (الابيات فى ديوان ابن النبيه). In quinque locis ad versus in textu

---

[a] In primo horum locorum scripsit: كلّ ما كان لَفْظه عن سنة كهذه سابِقًا ولاحِقًا لها بياضٌ فى اصل المصنّف رحمه الله. In p. 246: بياض بخطّ المصنّف وكذلك نَظِيره; et in p. 256: بياض ومثله فى كل ما وقع.

traditos, alios ille ejusdem sensûs adjecit, praemisso في معناه قول القائل, aut similibus verbis (p. 105, 290, 395, 491 et 583). Et denique in duobus tribusve aliis nonnulla quae minoris etiam momenti sunt, addidit.

Jure igitur exspectes, hoc nostrum exemplum, e Codice tantae auctoritatis descriptum et ab initio ad finem usque cum hoc ab alio collatum, fere omni ex parte perfectum et a mendis plane vacuum fore. Quae laus etsi eatenus ei concedi potest, ut affirmare non dubitem, ex hoc solo difficillimum quod continet opus a prudenti homine sat pure posse edi, certe in tantum tamen restringenda est, ut mendis laborare dicatur et manifestissimis et talibus quae auctor ipse non commiserit. Cujusmodi unum et alterum jam supra in locis a me in medio positis se obtulit (vid. p. 188 ann. *a*, p. 190 ann. *a* et *c*, et p. 193 ann. *a*), et plura etiam in initio operis, quod infra descripturus sum, occurrent. In his autem dijudicandis alia ab aliis caute distinguenda sunt: nam quae in solis vertuntur vocalibus, quas auctor ipse fortasse multo pauciores addidit, haec facile librario, per festinationem nonnunquam erranti, possunt tribui; quae vero ad litteras spectant, si aut in nominibus propriis aut in *aliorum* sive prosâ sive ligatâ oratione, ab 'Ibn-Ḥabîbo pro specimine citatâ, commissa sunt, non minus ab hoc quam a scribâ nostri exempli proficisci potuerunt: cujus posterioris culpa tum certior est, cum ipsius auctoris verba depravata sunt. Et hujus quoque generis vitia reverâ se offerunt: quae manifesto igitur ostendunt, tam librarium in describendo archetypo suo nonnunquam minus accuratum, quam collatorem in eodem adhibendo negligentiorem fuisse. In universum vero multo magis miror, quî liber tam ornati et diffi-

cilis stili, tantâque nominum propriorum et versuum copiâ ubique refertus, adeo caste perfecteque descriptus sit, quam quî passim leviora menda in hoc apographum irrepserint.

Quod ad vocales, de quibus modo dicere incipiebam, et reliqua lectionis signa attinet, horum sat magnus quidem numerus in toto Codice et ipsius scribae manu se offert, sed nec secundum certam rationem nec modo aequali sunt addita. Ut crebro enim ad usitatissimas voces et formas simplicissimas, in quibus pronuntiandis ne tiro quidem posset errare, adscripta sunt, et contrà a difficilioribus vocabulis saepissime, et a nominibus propriis minus vulgaribus plerumque absunt, ita etiam in aliis paginis major quam in aliis eorum copia exstat. Unde ergo efficiendum puto, ex maximâ certe parte ea librario deberi, nec ab hoc ex ipso auctoris autographo, quod aut nulla fere aut multo pauciora obtulerit, desumta esse. Quod tamen si verum est, sane haud mediocrem in modum de illius acumine et eruditione statuendum videtur: nam ut raro tantum in vocalibus addendis erravit, ita plurimae quas apposuit summi momenti sunt, tam ad ipsius 'Ibn-Ḫabībi' orationem, quam ad innumera illa carmina, ab hoc operi suo inserta, facilius intelligenda. Equidem et in locis quos supra jam edidi, et in majori illo qui sequitur, ea omnia lectionis signa adjeci, quae ad perfectam verborum cognitionem et sententiae perspicuitatem requiri putabam, omisi vero omnia quae supervacanea fuissent: et cum permulta igitur addenda mihi fuerint, quae librarius non expressisset, tum haud pauca etiam transivi ab hoc sine causâ adscripta. In ipsâ autem epitome, ut major ejus fides esset, hanc nobis legem posuimus, ut nusquam propriorum nominum pronuntiationem definiremus,

nisi ubi Codex eam manifesto indicasset, quae vero in hoc offerrentur vocales, has, si certe alicujus utilitatis essent, religiose adderemus.

Caeterum, ut non nitidissime tantum, verum etiam cum maximâ simplicitate, hoc exemplum exaratum est, ita omnia quae ad eundem spectant annum (solâ exceptâ poësi), continuatis inter se versibus conjuncta sunt: annus ipse, cujus historia traditur, tituli in modum seorsim scriptus est et rubro colore paulloque majoribus litteris; at diversorum articulorum, ex quibus ea historia constat, initium eo tantum apparet, quod primum singulorum vocabulum (وفيها) itidem rubro colore distinctum est. In loco qui sequitur id sic expressi, ut supra verba, quae in Codice rubra essent, lineam adjicerem; quo vero transitus ab uno ad alterum articulum magis etiam conspicuus esset, horum quemque, contra quam in Codice factum, ab integro versu inchoavi. Pro signis, quibus ego membrorum resonantias indicavi, librarius puncta rubra posuit, quae ille etiam ad carmina, tum ante et post singula disticha, tum plerumque in mediâ horum parte, adjecit. Praeterea vero ad omnium articulorum initium brevissimas in margine paragraphas, rubro colore et majusculo ductu, adscripsit, ex quibus illorum argumentum quodammodo lectori appareret: de quarum ratione ut ex paucis etiam exemplis judicari posset, eas in parte quam pro specimine tradam, suo quamque loco in annotatione apposui. Haec autem lemmata praesertim in illis articulis, qui de hominibus defunctis agunt, majoris momenti sunt, quoniam tunc ea continent nomina, quibus vulgo hi appellari solerent. Quo igitur non contemnendo indicio per totam epitomen ita usi sumus, ut e virorum nominibus supra

ipsa illa, quae sic a librario in margine notata essent, ubique lineam duceremus. Sicubi vero inter nomina, in his paragraphis et in ipso textu scripta, aliquantulum discriminis se offerebat, id separatim et accuratissime in annotatione commemoravimus; et si in paucissimis ergo locis nec illae lineae nec hujuscemodi annotatio offenduntur, hoc manifestum signum sit, ad talem articulum nihil quoque a Codicis scribâ adjectum esse. Nimirum videtur ille non statim ea lemmata ad singulos articulos apposuisse, sed vel post totum demum Codicem, vel post diversos, ex quibus compositus est, foliorum fasciculos absolutos, *de suo* supplevisse: unde facilius secutum sit, ut et in nonnullis per majorem festinationem erraret[a], et paucos etiam articulos, quorum initium ipsius oculos fefellisset, transiret.

His jam praemissis ad propositam rem progredior; et primo igitur loco ipsum operis exordium, tum integra anni 648 descriptio, tum deinceps omnium reliquorum annorum epitome sequitur.

بسم الله الرحمن الرحيم   الحمد لله المُبيد الوارِث‘ الشهيد الباعِث‘ الذى رفَع قواعِدَ التُّرْكِ من بنى يافِث‘ وكفّ بسيفِ عَزائمِهم كفَّ العابثِ والعائِث‘ وافضلُ الصلاةِ والتسلِيم‘ على نبيّه المشرَّف بالوَحْى والتكلِيم‘ محمّد ذى المَراتِب العَليّة والمَناقِب الفاخِرَه‘ [b]وعلى آله وأصْحابه[b] ساداتِ الدنيا ومُلوكِ الاخرَه‘

[a] Nonnunquam tamen in his paragraphis etiam rectius quam in ipso textu nomina scripsit: et tali igitur in casu satis habuisse videtur, errorem hîc agnitum ibi corrigere.

[b] Haec verba, hîc plane necessaria, ipse librarius omiserat, sed illius manu, qui Codicem cum autographo auctoris contulit, in margine suppleta sunt.

(الرجز) ما[a] أَمْلَتِ الوُرْقُ على أَوْراقِها أَشْواقَها وٱنْسَجم الغَمامُ
وما على الطِّرْسِ بأَخْبارِ الأُلَى ذوى المَعالى جَرَتِ الأَقْلامُ

وبعد فهذا كتابٌ يشتمل على دَوْلة الأَتْراك وأَوْلادِهم، وصَوْلةِ نُوَّابِهم وأُمرائِهم وأَجْنادِهم، وذِكْرِ الحَوادِثِ الكائنة فى عَصْرِهم، وخَبَرِ مَنْ دَرَج الى رحمة الله من أَعْيان دَهْرِهم، وضعتُه عِبْرا لبَحْرِ العِبْرَه، وجمعتُه تَذْكرة لاهل المعرفةِ والخِبْرَه، وقلتُ مُخاطِبا لنفسِى، مُنَوِّها بالرِّحْلة الى مَنْ مضى من أَبْناء جِنْسِى،

(الرجز) حَرِّرْ وفى القول عن القوم ٱحْتَرِزْ وٱحْذَرْ من التَّأْنيب والتَّوْبِيخ
يا ....[b] يَكْتُبُ تَارِيخَ الوَرَى لا بُدَّ أَن تُكْتَبَ فى التَّارِيخ

والله يَجْعَلُنا ممّن نظَر وٱعْتبَرَ، ويُدْخِلُنا فى زُمْرةِ من ٱشْتهر بأَحْسنِ السِّيَر، بمَنّه وطَوْلِه، وقُوّته وحَوْلِه *

سنة ثمان واربعين وستمائة

[c] فيها وُلّى السلطانُ الملكُ المُعِزُّ أَيْبَك الصالِحِىّ امرَ المُلْك بالديار المصريّة وهو اوّل مَنْ ملكها من الأَتْراك، وامثل من نصب لصَيْدِ سانِحِها وبارِحِها الأَشْراك، لمّا خلا دَسْتُ سَلْطنتها من بنى أَيُّوب، ورُمِىَ بسَهْم الخُطوب مَنْ كان يَحْمِى مَحَلَّها ....[d]،

---

[a] Facile apparet, vocem ما etiam hîc (ut supra p. 210 vs. 4) *quamdiu* significare, ac duobus his distichis idem quod illic brevioribus verbis, expressum esse. [b] Hîc per detritam chartam duo vocabula obscurata sunt: e litterarum ductibus tamen qui adhuc supersunt, prius quidem manifestum videtur ذى fuisse, et alterum certe constat ab articulo incepisse. Credo igitur, sententiae simul et metri ratione habitâ, scriptum fuisse يا ذى الرَّدَى, quod, ex Grammaticae lege in يا ذا الردى mutandum, significet: *O vir obnoxie leto!* [c] Ad hujus articuli initium rubro colore in margine scriptum est: الملك المعزّ ايبك. [d] Etiam quod hîc scriptum fuit vocabulum ex parte interiit: supersunt tres priores litterae الخ, cum tantillâ parte quartae, ut pro certo haberi possit, hanc non

تشوّف المَلِكُ المذكورُ وغيرُه الَيْهِ، وادارُوا نِطَاقَ نَواظِرِهم وخَواطِرِهم علَيْهِ، وكان معروفا ..... [a] اهل الجِهَاد، موصوفا بسُلوك طَريقِ الدِّيَانة والسَّدَاد، فٱتَّفقَ أَرْبابُ الدولةِ على وِلايتِه، وجزَموا بَرَفْعِ لِوائه ونَصْب رايتِه، وأُشِيرَ ببَنَانِ التقدُّم اَلَيْهِ، وحُمِلَت الغاشِيَةُ بَحَضْرة .... [b] بين يدَيْه، وجلَس على السَّرِير، ودخَل فى طاعته المَأْمُورُ والأَمِيرُ، وذلك بعد قَتْل المَلِكِ المعظَّم تُورَانْشاهَ بن الملك الصالِحِ أَيُّوب الآتِى ذكرُ وفاتِه [c] وكانت وِلايتُه فى شهر ربيع الاخر من هذه السنة والخليفةُ اذذاك الامامُ المستعصمُ [d] عبد الله بن المستنصر منصور بن

aliam quam vel ص (ض) vel ط (ظ) fuisse: credo igitur, cum resonantia articulorum ostendat finem ejus necessario fuisse وب, auctorem scripsisse الخُضُوب, *et sagittâ infortuniorum jactus erat ille qui* (*ultimus ex Aijūbī*dis) *viridem illius terrae mansionem tuebatur.*

[a] Vox quae hîc scripta fuit, fere tota excidit: unius tantum e medio ejus litterae ductus eatenus superest, ut صْ fuisse videatur. Conjicio, restituendum esse بتَصْرِيع, *ac notus erat* (ʻ*al-Malico-ʼl-Moʻizzus*) *virtute suâ militari quâ bellatores magno numero prostraverat.* [b] Media pars vocabuli quod hîc scriptum fuit, interiit: supersunt primae litterae الحا, itemque ultima ة, quam praeterea per duo puncta, quae adhuc in Cod. se offerunt, antecessisse apparet litteram ى (يـ). Puto igitur auctorem scripsisse الحاشية, ut sensus sit: *ac portatum est ante illum, praesente Comitatu regio, ephippii stragulum.* Vocem حاشية de *Comitatu regio* usurpari, docent ex. gr. loci ex *Vitâ Tīmūri* I. p. 220 vs. 3 et فتوح مصر p. 135 vs. 8; *stragulum* vero *ephippii ante aliquem portare* idem valet ac *se alicui subjicere eumque tanquam dominum agnoscere:* conf. ʼAbū'lfed. *Ann. Mosl.* IV. p. 420 vs. 8, p. 516 vs. 7, V. p. 64 vs. 3 a f., Bar-Hebraei p. 309 vs. 9 seq. et 315 vs. 1, itemque ʼIbn-Zaidūni epist., ed. Reiskei p. 2 vs. 2. [c] Vide paullo inferius.

[d] In Cod. male scriptum est المعتصم.

الظاهر محمد بن الناصر احمد الهاشمىّ العبّاسىّ والحاكم
بالديار المصريّة قاضى القضاة بدرُ الدين ابو المَحاسِن
يوسف بن السّنْجارىّ الشافعىّ[a] والحاكمُ بدمشق قاضى القضاة
صَدْر الدين ابو العبّاس احمد بن سَنِىّ الدولة الشافعىّ[b]
والحاكمُ بحَلَب قاضى القضاة كمالُ الدين ابو بكر احمد الأُسْتاذ
الشافعىّ[c] وٱسْتقرّ فى المُلْك قَدَمُه' وجرى بالعَطاء والمَنْع قَلَمُه'
وعزَل ووَلّى' وعطّل وحَلّى' ونفَذت أَوامِرُه فى بلادِه' قُلْ إنّ الارض
للّه يُورِثها مَنْ يشاءُ من عبادِه' *
[d]وفيها وُلِّىَ السلطان المَلِك الناصِر يوسف بن الملك العزيز
محمد بن الملك الظاهر غازِى بن السلطان الملك الناصِر
يوسف بن أَيّوب أَمْرَ[e] المُلْك بدمشق وجِهاتِها' مع ما بيَدِه

---

[a] Mortem ejus infra notatam vide ad a. 663. [b] Etiam de hoc viro conf. infra ad a. 658. [c] Verba والحاكم بحلب usque ad الشافعى non in ipso textu leguntur, sed in margine adscripta sunt illius manu, qui Codicem cum auctoris autographo contulit: videntur ergo a librario, cujus oculus ab altero الشافعى ad alterum aberraverit, omissa fuisse. Ut vero nunc ea verba in margine exstant, ante الحاكم deest و, et ante الدين vocabulum quod supplevi, كمال. Utrumque excidit bibliopegi culpâ, qui foliorum margines latius abscidit (conf. supra p. 207 vs. 6 seqq.), et per hanc imprudentiam hoc loco initium sustulit amborum versuum quibus ea annotatio constat. Reverâ autem كمال الدين hujus Judicis fuisse titulum, apparet e loco in quo Ibn-Habīb de morte ejus retulit, ad a. 662. Ibi tamen non, ut hoc loco, الاستاذ, sed ابن الاستاذ, appellatus fuisse legitur.

[d] Hîc in marg. scriptum est: الملك الناصر يوسف.

[e] Perperam in Cod. scriptum est امير, quod explicari non posset: unde mirum sane, mox in initio sequentis articuli eundem a librario errorem commissum esse. Vera lectio tum per ipsam verborum structuram, tum per infinitos similes locos, ubique in hoc opere exstantes (vide jam supra p. 223 vs. 13), facile se obtulit: uti vero hoc loco

من حَلَبَ ومُضافاتِها، لمّا بلغه وفاةُ الملكِ الصالحِ ايّوبَ وقتلُ ولدِه الملكِ المعظَّمِ تورانشاهَ المقدّم ذكره ركب بمَنْ معه من أقاربه وعسكره بحَلَبَ، ورحَل مُغِزًّا[a] فى السَّيْر مُجِدًّا فى الطَّلَب، فلمّا نزل علَيْها، اخَذ سَريعا[b] ودخَل اليْها، ثم بادَر الى تحْصيل أمْوالِها، وثابَر على تسلُّم نَواحيها وأعْمالِها، مُسْتجلِبا قلوبَ الرَّعيّه، مُجْرِيًا أمورَهم على القواعِد المَرْضِيّه، فمالوا اليه وعكَفوا علَيْه، وٱستقرّ شامِخَ الرُّتْبة رَفيعَ المكان، الى ان خانَتْه الايامُ بعد عشرة أعْوام[c] وغدَر به الزَمان، *

[d]وفيها وُلّى المَلِكُ المظفَّر يوسفُ بن الملك المنصور عمرَ بن علىّ بن رَسُول المسعودىّ أمْرَ[e] المُلْكِ باليَمَن على قاعِدةِ والدِه بعد وفاته مَقْتولًا وباشَر مظفَّرَ العَزائِم، منصورَ العَوامِلِ[f] والصَّوارِم، مالِكا يُمْنَ اليَمَن، حائِزا عِزَّ تَعِزَّ وعَدَن، وصَفَتْ له المَوارِدُ وطابَتْ، وٱستمرّ الى ان غربَتْ شمسُ مُدّتِه الطَّويلةِ[g] وغابَتْ، *

[h]وفيها ٱجْتمع الأمراءُ الأكابِرُ بالديار المصريّة على ان يُقيموا

(et in paucis aliis) pro أَمْـر a librario أَمـيـر substitutum est, ita quoque in nonnullis, in quibus de *Judicibus constitutis* agitur, pro solenni phrasi وفيها وُلّىَ قاضى القضاة كذا وكذا الحُكْمَ ببلادِ كذا, nunc perperam in Cod. scriptum legitur: وفـيـهـا ولى قـاضـى القضاة — — الحاكِمُ الخ *

[a] Quartam formam اغزّ hîc idem fere quod sequens اجدّ significare evidens est (*magnâ cum intentione festinavit*): conf. potestas quae 3ae formae غَازَّ in Lexicis tributa est. [b] Verbo اخَذ ut absolute hîc positum est, idem, credo, exprimitur ac si scriptum esset اخَذ الفُرْصَةَ; et vertendum ergo videtur: *cito prehendit occasionem oblatam.* [c] Vide mortem ejus notatam ad a. 659. [d] Hîc in marg. adscriptum est: الملك المظفّر صاحب اليمن. [e] Cod. امير. Vide in superiori p. ann. *e*. [f] العَوامِل hoc loco *hastas* significat: vide quod in Lexicis de عامِلةُ الرمح notatum est. [g] Mortem ejus infra notatam vide ad a. 694. [h] Hîc in marg. scriptum est: الملك الاشرف موسى.

طِفْلا من بنى ايّوب يكون له الاسمُ ولهم التدبيرُ مع الملك المُعِزّ
المقدَّم ذكرُه فوقَع اتّفاقُهم على الملك الاشرف موسى بن الملك
الناصر يوسف بن الملك المسعود أَقْسِيسَ بن الملك الكامل
محمد بن الملك العادل ابى بكر بن أيّوب فأَحْضروه وسَلْطَنُوه،
وعَلَّموه ولَقّنُوه، وأَقاموه وأَقْعَدُوه، وقرَّبوه ثم أَبْعَدُوه، وآسْتمرّ صُورةً
لا مَعْنَى، راضِيا بالشَّرَف الأَعْلى والمَقام الأَسْنَى، غُرَابًا[a] لمُشِيرٍ فى
طَرِيقِ الهُدَى، مُتكـلِّما بنَظِيرِ ما يقال له كالصَّدَا، ولم يَبْرَحْ
الى ان خُلع بعد ثلثة أَعْوام[b]، وآنْفرد الملكُ المُعِزّ بالسَّلْطنة
الى ان لَحِق بمَنْ سبَق من الأَقْوام[c]، وفى جَدّه[d] الملكِ المسعودِ
اقسيسَ[e] يقول الصاحبُ جمالُ الدين[f] ابو الحسين يحيى بن
مَطْرُوح

(البسيط) قالوا تَقَضَّى الملكُ المسعودُ قلتُ لهم لا تَطْمَعوا فى بَقَاء الشمسِ والقمرِ
قُلْ للمُلوك آسْتَقِرّوا فى مَمَالِكِـكم قد ماتَ مَنْ كنتُمُ منه على حَذَرِ*

[g]وفيها وُلّى نِيَابَةَ السَّلْطَنةِ بحَلَب الملكُ المعظَّم تُورَانْشاهُ بن
السلطان الملك الناصر يوسف بن أيّوب وباشَر ساكِنًا بقَلْعتِها،
راكِبًا شَهْباءَ رُقْعتِها[h]، يُجِيب نِدَاءَ المُقِيمين بنادِيها، ويَجْتهد

---

[a] Ex antecedentibus et sequentibus facile apparet, figurato *corvi* nomine hîc eum exprimi, qui nihil nisi quod alii ipsum docuerint loquatur, et quod jusserint faciat. [b] Conf. Abū'lfed. *Ann. Mosl.* ad a. 652, T. IV. p. 536. [c] Mortem ejus infra notatam vide ad a. 655.

[d] Cod. male جدّه. [e] De quo, mortuo a. 626, conf. Abū'lf. l. l. IV. p. 352. [f] In Cod. hoc loco pro الدين mendose scriptum est ابن. Conf. de hoc Ibn-Matrūh*o* Ibn-Call. n. 821, Abū'lf. l. l. IV. p. 526 (et ad eum locum Reiske*i* annot. 376 in p. 722), itemque infrà Ibn-Habīb ad a. 649. [g] Hîc in marg. scriptum est: الملك المعظم تورانشاه. [h] الشَّهْبَاءُ hîc idem valet quod الفَرَس, *equus*, nomen unius e latrunculis quibus Arabes in Schahiludio utuntur (conf. Hyde*i* *Syntagm. Dissert.* II. p. 87 vs. 4 a f.); et الرُّقْعة nomen est ipsius tabulae in quâ latrunculi ordinantur. Dicit igitur *vectus equo tabulae ejus latruncularia*e, pro *dominans in eâ.*

فى حِفْظ حَوَاضِرها وبَوَادِيها، واستمرّ بها من عُمْره دَهْرًا، الى
ان قَدَم هُـلاكُو[a] واخَذها منه قَهْرًا، *

[b]وفيها سار السلطانُ الملك الناصرُ يوسفُ بن الملك العزيز
المقدَّم ذكرُه وصُحْبتَه عسكرُ الشام الى الديار المصريّة ليَتملَّكها
مُضَافًا الى ما بيَده وبرز السلطانُ الملك المُعِزّ أَيْبَك الصالحىّ
بمَنْ معه من العسكر المصرىّ حيث بلَغه الخَبَر، وظَهر له من
الوُثوب عليه ما ظَهَر، فٱلْتقى الفَريقانِ بالرَّمْل، وٱنْتَشروا على
الأَحْقاف منه كالنَّمْل، وحصَل بينهم قِتالٌ شَدِيد، ونِزالٌ شَرْحُه
طويلٌ وبَرْحُه مَدِيد، وٱنْتهى الامرُ الى نُصْرةِ المصريّين فقتَلوا
وجرَحُوا، وأَعْلنوا بالقتل وصرَّحُوا، ونهَبوا وسلَبُوا، وبلَغوا من
طَرْدِ غُرَمائِهم[c] ما طَلَبُوا، واسَروا جماعةً من أَكابِر الأُمَراء وأَعْيانِ
بنى أَيُّوب، وظَفِروا من خِزانةِ الملك الـنـاصـر بالمَحْجور
والمَحْجُوب، وساروا بالذَّخائر والأُسَارَى، وتركوا اهلَ الشام
سُكَارَى وما هم بسُكَارَى[d]، فطَفَق كلٌّ منهم يَحُوم فى حَوْمةِ
الغَضَب ويَجُول، ثم رجَعوا الى الشام ولِسانُ حالِ مَلِكِهم يَقُول[e]،

---

[a] Pro قدم هلاكو in Cod. male scriptum est قدمُوا هُلاكُـوا.
Conf. vero infra ad a. 658, ubi mors Tūrānšāh*i* notata est.

[b] Hîc in marg. adscriptum est: وقعة عسكر نصف الشام, id est: *clades quae accidit exercitui Sultani, qui dimidiae parti Syriae imperabat.* [c] Figurate hîc dicuntur Aegyptii *abegisse creditores suos,* quoniam qui ipsos invaserat hostis, sibi, utpote 'Aijūbīd*ae*, jure eam terram deberi judicabat. [d] Sensus est: *et reliquerunt incolas Syriae ebrios* (h. e. *mentis impotes per sollicitudinem:* vid. Lexx. in v. سَكْرة), *cum ipsi ebrii non essent.*

[e] Id est: *Et status in quo Rex eorum* ('al-Malico-'*n*-Nāçir) *versabatur, is erat, ut nihil loquens intuentibus sequentia recitare videretur.* Duo igitur ea disticha non ipsi illi Principi tribuenda, sed aut ab 'Ibn-Ḫabīb*o* ad ornatum orationi suae afferendum composita, aut aliunde huc traducta sunt: similes haud pauci loci passim in hoc opere exstant.

(البسيط) أَمَّلْتُ منك[a] اللُّقَا يا مَنْ برُؤْيته قلبى يُطالِبُنى والعينُ والأُذُنُ
ما كُلّ ما يَتمنّى المرءُ يُدْرِكُه تَجْرِى الرِّياحُ بما لا تَشْتهى السُّفُنُ*

[b]وفيها كان[c] المُصَافّ بين الملك المعظّم توارنشاهَ بن الملك الصالح ايّوب المقدَّم ذكرُه وبين الفَرَنْسِيس[d] ملك الفَرَنْج على المَنْصُورة بالقُرْب من دِمْياط وجرى بينهم قِتالٌ عظِيم، وحربٌ نَوَّعَت[e] الحِمَامَ وجَرَّعَت الحَمِيم، وٱشْتدّ الامرُ الأَمَرّ، وتمادى الحالُ وٱسْتمَرّ، الى ان منّ اللهُ بما فيه غايةُ الأُمْنِيّة، ونصَر الجيشَ الاسْلامىَّ على الطائفة الفَرَنْجِيّة، فقُبِضَ على مَلِكهم الفرنسِيس، وٱنْهارَ ما لُفِقَ لبِنائِه من التَّأْسِيس، وقُتل منهم وأُسر نَحْوُ ثلاثين أَلْفًا، وقَرَّبَت الشّهادةُ نحوَ مائة من المسلمين الى الله زُلْفَى[f]، وتيمَّن الناسُ بطَلْعة الملك المعظَّم، وجُهِّزت كُتُبُ البَشائِر الى البلاد مَشْحونةً بالدُّرّ المنظَّم، وكان الفرنجُ المذكورون قد نزَلوا فى السنة الماضية على دِمْيَاط، واتوا فى جُموع لا يَحْصرهم قلمُ حاسِبٍ ولا خَطّاط، ودخَلوا اليها ومَلَكُوها، ومزّقوا أَسْتارَ

---

[a] Per reliqua verba satis manifestum est, hoc pronomine *Deum* appellari: sensus enim hujus distichi est: *Id in quo miser jam unico spem meam reposui, est Tuus* (*in vitâ futurâ*) *occursus, o Tu quem ut videam* (*et agnoscam in omnibus rebus creatis*) *cor meum pariter atque oculus et aures a me postulant.* [b] Hîc in margine adscriptum est: وقعة المنصورة. [c] In Cod. inter verbum كان et nomen المصاف interpositum est الملك, quod ex errore librarii ortum videtur et necessario expungi debet. De formâ مُصَافّ, *proelium* (pp. participio pass. formae 3ae verbi صفّ), conf. Hamaker*i* annot. ad فتوح مصر, p. 107. [d] Evidens est, hoc nomine significari Ludovicum IX., Galliae Regem. [e] Secunda forma نوّع significat *in diversas species distinxit:* hîc ergo loquitur de *bello quod diversa mortis genera inferebat.* In posteriori parte hujus articuli vox الحَمِيم significat *aquam fervidam Inferni:* conf. ʾal-Qorʾān*i* VI: 69; X: 4; XXXVII: 65, caet.

[f] Vox زُلْفَى hîc in *accusativo* casu cogitanda est, et *adverbii* vice fungens *prope* significat. Conf. ʾal-Qorʾān*i* XXXIV: 36 et XXXIX: 3.

حُرْمَتِها وهتكوها، ونصبوا عَلَمَهم المكسور[a]، واقاموا الى وُقوعِ المُصافّ المذكور، فحصل بقوّة الله النَّصْرُ عليهم والأَخْذُ منهم بالثّأرِ، وآسْتمرّ الفرنسيس أَسيرا الى ان فَدَى نفسَه بأَرْبعِ مائةِ الف دِينَار، وقلتُ فى ذلك حالَ الكِتَابة

(السريع) قد شاعَ فى الآفاق بين الوَرَى ما سَرَّ من أَسْرِ الفَرَنْسِيسِ
يـــا وَيْحَهُ لم يُنْجِهِ من أَتَى من قُبْرُسٍ كَلّا ولا سِيسِ[b] *

[c]فصل وفيها تُوُفّى المَلِكُ المعظَّم تورانشاهُ بن الملك الصالح ايّوب بن الملك الكامل محمد بن الملك العادل ابى بكر بن ايّوب بن شادِى بن مَرْوان لمّا نُقل والدُه الى رحمة الله فى شعبانَ من السنة الماضية آتّفق اهلُ العَقْدِ والحَلِّ على تَوْلِيَتِه عِوَضا عنه وحلفوا له العساكِرَ، وأَشْخصوه من حِصْنِ كَيْفَا[d] على مُتُونِ الضَّوامِرِ، فلمّا وصَل الى دمشق تَفضَّل وأَنْعَمَ، ومَلَأَ حَقائبَ[e] ذوى المَطالِب وأَنْعَمَ، وأَنْفق الأَمْوالَ، وحسَّن الأَفْعالَ

---

[a] Vexillum Francorum *fractum* appellat, sive *crucis* compositionem ex duobus lignis spectans, sive respiciens ad magnas clades, a Nūro'*d*dīn*i* inde et Çalāḫo'*d*dīn*i* aetate identidem illis illatas.

[b] Dicit in hoc disticho, *nequaquam potuisse infortunium illud a Ludovico arcere ingentem illum exercitum, qui cum ipso e Cypri insulâ in Aegyptum appulisset, et cujus numerus etiam per multorum e Syriâ et Ciliciâ Christianorum adventum auctus esset.* Nimirum سِيس est nomen primariae urbis Ciliciae, sitae ab occidente Mar'aš*i*, a septentrione Anazarbae et Mopsuestiae (conf. Abū'lf. تقويم البلدان, ed. Paris. p. ٢٥٩ seq., Saint-Martin *Mémoires sur l'Arménie* T. I. p. 200 seq.); causa autem, cur hanc potissimum urbem 'Ibn-Ḫabīb hîc commemoret, in eo simpliciter sita videtur, quod vocabulo ipsi opus esset quod nomini الفرنسيس resonaret.

[c] Hîc in marg. scriptum est: الملك المعظم تورانشاه.

[d] Conf. Abū'lf. *Ann. Mosl.* IV. p. 504 seqq.

[e] حَقَائِبُ, plurale nominis حَقِيبَةٌ, *peras* significat: conf. locus in Tibrīzī Comm. ad 'al-Ḥamās. p. ١٩ vs 16.

والأَقْوَال، ثم دخل مصرَ فأَجْلسوه على تَخْتِ مُلْكِها، وحكّموه فى إدارةِ فَلَكِها وإِجْراءِ فُلْكِها، ولَقِى الفَرَنْجَ فكسَرهم وأَسَر فَرَنْسِيسَهم، وارغم[a] راغِبَهم وراهِبَهم وقَسِيسَهم، وهدّم من أَرْكانهم ما هَدَّم، وسُرَّ الناس بمَقْدَمه كما تقدَّم، فلمّا ٱستقرّ امرُه، تَوقّد جَمْرُه[b]، وٱنْهمَك على اللَّعِب، وأَتْعَب وتَعِب، وقرّب الأَراذِل، وأَبْعد الأَماثِل، فٱتَّفقوا على الفَتْك به وهو نازِلٌ بفارِسْكُور[c]، وأَبْدَوْا من المُجاهَرة ما ليس بمَحْمود ولا مشكُور، فٱعْتصم بقَصْر له من خَشَب، حَيْثُ ظنّ أنّه يُنْجيه من العَطَب، فأَحاطوا به إِحاطةَ القِلادةِ بالنَّحْر، فرَمَى بنفسه[d] فارًّا الى جِهة البَحْر، فٱتّبعوه وأَدْركُوه، وأخذوا بأَطْراف السُّيوف وأَهْلكُوه، وكانت وفاتُه بعد شهرَيْن من مُلْكه عن ....[e] سنة تغمّده الله

---

[a] In Cod. scriptum est وارغموا, quod ideo in singulare وارغم mutavi, quoniam sequens etiam verbum وهدم ad solum Tūrānšāh*um* spectat. Vocem راغِبٌ hîc *ascetam* sive *vitae religiosae studiosum* significare, e vocibus cum eâ conjunctis est evidens.

[b] *Accensae arserunt prunae ejus*, id est, *irae in subditos indulsit et dure atrociterque se gessit.* Conf. Abū'lf. *Ann. Mosl.* IV. p. 510. In sequentibus animadvertenda est constructio 7ae formae انهمك cum praep. على, cum soleat ei فى subjungi (ut ex. gr. Abū'lf. l. l. I. p. 462, II. p. 104, IV. p. 32 et 320). Sensus est: *et totum se dedidit rebus ludicris et voluptatibus, et his serviendo alios et semet ipsum fatigavit.* [c] فارسكور sive فارسكُر, teste Lexico Geogr., est من قُرَى بينِ مصرَ ودِمْياطَ من كُورةِ الدَّقَهْلِيّة (conf. Sacy*i* *Rélat. de l'Ég.* p. 626 n. 127). Tota autem quae hîc narratur res, et mentio quoque quae mox de turri illâ ligneâ fit, illustretur adhibito Abū'lfedā*i* loco laud., IV. p. 510.

[d] Id est: *praeceps ruit; praecipiti cursu se contulit.*

[e] Quanquam nullum hîc in Cod. spatium relictum est, et altera etiam manus illa hîc nihil in margine annotavit (vid. supra p. 217 vs. 4 seqq.), manifestum tamen est, numerum ipsum annorum aetatis

برحمته وراى بعض الناس اباه[a] الملكَ الصالح فى المَنام بعد قَتْله وهو يقول[b]

(الرمل) قتلوه شَرَّ قِتْلَه صارَ للعالَمِ مُثْلَه
لم يُرَاعُوا فيه آلَاءً[c] ولا مَنْ كانَ قَبْلَه
سَتَرَاهم عن قَرِيب لِأَقَلِّ الناسِ أُكْلَه

وفى والِده الملك الصالح المذكور يقول الصاحبُ بَهاءُ الدين ابو الفَضْل زُهَيْر بن محمد بن على المصرىّ[d] من قصيدة

(الكامل) ولقد سَعَيْتَ الى العُلَا بعَزَائمٍ تَقْضِى لسَعْيِى أَنّه لا يُخْفِقُ[e]
وسَرَيْتَ فى ليلٍ كأَنّ نُجومَه من فَرْطِ غَيْرتها الىّ تُحَدِّقُ[f]

Tūrānšāhi inter عن et سنة deësse: auctor libri, inter scribendum veri numeri inscius, postea eum addere voluit, sed hoc propositum uti hoc loco ita in quamplurimis aliis non exsecutus est.

[a] In Cod. male ابوه scriptum est. [b] Quae sequuntur, ita in Cod. scripta sunt, acsi *prosâ* oratione constarent. Nemo tamen dubitabit, quin recte ea ut versus metri الرمل ediderim. [c] Sic legendum esse metrum indicat: in Cod. scriptum est الا. Sensus hujus distichi et sequentis hic est: *Non rationem habuerunt in causâ ejus beneficiorum (acceptorum), nec (Principum e stirpe nostrâ) qui ante eum fuerunt. Videbis eos brevi tempore fieri escam humillimi hominum.* Extremis verbis spectatur Sultanus Aibec, qui, origine servus, post occisum Tūrānšāh*um*, Aegypti imperio potitus est. [d] De hoc viro conf. 'Ibn-Ćallicān N. 246, et 'Ibn-Ḫabīb infra ad annum mortis ejus 656.

[e] Non dubito, hoc verbum sic ut feci in 4ª formâ pronuntiandum esse, ut sensus sit: *Tu ad elatam gloriam contendisti per firma animi proposita, quae decernunt in favorem mei studii (magna tua facta laudibus celebrandi), fore ut hoc voto suo non excidat*, id est, *fore ut huic semper larga materia suppetat.* [f] Comparat gloriosam Regis vitam quam exegerat antequam ad imperium venisset, cum itinere facto per noctem, cujus astra tam acute splenderent, ut custodes esse pulchrae puellae viderentur, qui maximâ correpti zelotypiâ oculorum aciem quoquoversus intenderent.

حتّى وصلت سُرَادِقَ المُلْكِ الذى   تَـقِـفُ الملوك ببابه تَسترزِقُ
فالَيْك[a] يا نجمَ السماء فاتّنى   قد لاحَ نجمُ الدين لى يتألّقُ
الصالِحُ المَلِكُ الذى لزَمانه   حُسْنٌ يَتِيهُ به الزمانُ[b] ورَوْنَقُ *

[c]وفيها توفّى الملك الصالح اسمعيل بن الملك العادل ابى بكر ابن ايّوب بن شادى بن مَرْوان رئيسٌ نَبِيل' حاكمٌ جَلِيل' كلمتُه مُطَاعَه' وعنده حزمٌ وشجاعَه' ملَك دمشق ومُتِّعَ بمَحاسنها دَهْرًا' ثم أُخِذَتْ منه قَسْرًا' وله بها مَدْرسةٌ وأَوْقَاف' ومعروفٌ شامِخُ الأَعْرَاف' صَحِبَ الملكَ الناصرَ يوسفَ بن الملك العزيز وأنْضمّ اليْه' ولازَمه لِمَا راى من التَّعْظيم والتَّكْريم لدَيْه' وآسْتمرّ الى ان اسَره العسكرُ المصرىُّ فى المَعْرَكة المقدَّم ذكرُها واخَذوه معهم الى القاهرة ثم قتلوه وكانت وفاته بها عن نحو خمسين سنة تغمّده اللهُ برحمته *

[d]وفيها توفّى الامير شمس الدين لُؤْلُؤٌ الأَمِينىُّ مقدَّمُ العسكر بحَلَبَ جَليلٌ خَطِير' حسنُ الراىِ والتدبِير' وافِرُ الحُرْمَه' ظاهِرُ الحَشَمَه[e]' كَثيرُ الدِّيَانَه' عَزيزُ الصِّيَانَه' نَيِّرُ الشَّمْس' متأَهِّبٌ لِسُلُوكِ[f] الرَّمْس'

---

[a] Id est: *cura jam res tuas et prospice saluti regni tui.* E Lexicis notum est, nudum اليك hoc sensu usurpari.

[b] Ne hîc offendat repetitio vocis زمان tanquam otiosa et languida, animadvertendum est, prius لزمانه significare *aetati suae*, posterius autem الزمان verti debere *aevum* sive *longissimum tempus*, ac verbum يتيه igitur *futuro* sensu accipiendum esse.

[c] Hîc in marg. adscriptum est: الملك الصالح اسمعيل.

[d] Hîc in marg. scriptum est: الامير شمس الدين لولو.

[e] Verba وافر -- الحشمه vertenda sunt: *vir amplâ famulorum turbâ augustus, et conspicuus numeroso comitatu.* Vox حُرْمَةٌ enim, ut Ǵauharîus scribit, significat حُرَمَ الرجل واهلَه (*uxores viri totamque familiam ejus*); ac voce حَشَمَةٌ praesertim *numerosum comitatum* exprimi, arguunt loci sequentes libri فتوح مصر, p. 21 vs. 6, p. 93 vs. 1 a f., p. 111 vs. 6, p. 123 vs. 3, p. 134 vs. 4 et p. 135 vs. 1.

[f] Sic per conjecturam edidi, cum in Cod. nullo sensu scriptum sit

مُعَظَّمٌ فى الدُّوَل، لا مَحِيدَ له عن المعروف ولا حِوَل، سارَ فى
خِدْمة الملكِ الناصرِ يوسفَ بن الملك العزيز[a] فاسَره العسكرُ
المصرىُّ وكانت وفاتُه بالمَعْركة المقدَّم ذكرُها مَقْتُولاً[b] بين يدى
أَيْبَكَ الصالحىّ عن ......[c] سنة تغمّده اللهُ برحمته *

[d]وفيها توفّى الامامُ رَشِيدُ الدين ابو محمد عبد الوهّاب بن
ظافِر بن على بن فتُوح[e] الشهير بابن رَوَّاج الاسكندرىّ المالكىّ
فقيهٌ فاضِل، عالمٌ عامِل، محدِّثٌ كَبِير، عارِفٌ خَبِير، سمع وحصَّل[f]
ودَأَب، وحدَّث وخرَّج، وكتَب، واخَذ عن السِّلَفىّ[g] ومَن سلَف

كلُوك. Videtur scriba duas illas litteras لس, minus distincte in archetypo exaratas, male pro unâ ك habuisse. Ut nunc edidi, facilis hic sensus est: *plane paratus* (*per bona opera sua*) *ad calcandam humum sepulcri.*

[a] Sequuntur hîc in Cod. verba وانضمّ اليه, quae tamen ab ipso librario leviter expuncta sunt. Oculus ejus inter scribendum aberrasse videtur ad locum plane similem qui praecessit in superioris pag. vs. 9.

[b] Sic legendum esse, per loci rationem evidens est: in Cod. tamen scriptum est مقبُولا, et non hoc tantum in loco, sed infra etiam in aliis similibus idem hoc mendum offendi.

[c] Hîc, plane ut supra p. 231 vs. 11, ipse annorum numerus deëst: in Cod. etiam hoc loco nullum hiatûs indicium se offert.

[d] Hîc in marg. adscriptum est: رشيد الدين بن رواج.

[e] Huic rariori nomini proprio uti nulla in Cod. vocalis est addita, ita equidem haud certo scio, utrum prima ejus littera cum Fat͟hâ an cum Çammâ pronuntianda sit. [f] De vi verbi حصَّل conf. Meursingei annot., *Spec.* p. 80; verbum خرَّج autem, ut in universum significat *in lucem edidit* (conf. supra p. 187 ann. *a*), ita praesertim in disciplinâ Traditionis usurpatur de *scripto consignandis et edendis* traditionibus ore propagatis. Vide locos in annot. Hamakeri ad librum فتوح مصر p. 181 vs. 1 et 5.

[g] De hoc notissimo viro conf. Meursinge l. l. p. 56.

من طَبَقتِه، ونشَر على الطَّلَبة شَفَقَ لُطْفه وشَفَقتِه، وآمْتدّ فى الخير عُمْرُه، وطابَ على أَلْسِنةِ الرُّواة خَبَرُه، وكانت وفاتُه بثَغْرِ الاسكندريّة عن اربع وتسعين سنة تغمّده اللهُ برحمته *

[a]وفيها توفّى الحافظ شمسُ الدين ابو الحَجّاج يوسف بن خَليل بن قَراجَا[b] بن عبد الله الدمشقىّ مُسْنِدٌ عَلَتْ رُتْبتُه، وآرْتَفعتْ هَضْبتُه، وأَنارتْ شمسُه، وتضاعَف خَيْرُه وأُنْسُه[c]، أقام بحَلَب ثابِتَ الأَرْكَان، ورحَل الى العِرَاق وإِصْبَهان، سمِع وحدَّث وكتَب الكَثِيرَ وأَلْحق حَيْثُ طالَ عُمْرُه الصَّغِيرَ بالكَبِيرِ[d]، وسعى الناسُ اليْه، وعكَف الطُّلّابُ علَيْه، وآسْتمرّ يُفِيد ويَنْفَع، الى ان وافاه من الموت ما لا يُرَدّ ولا يُدْفَع، وكانت وفاتُه بحَلَب عن ثلاث وتسعين سنة تغمّده اللهُ برحمته *

Anno 649

Syriam invasit exercitus Sultani Aegyptii, 'al-Malico-'l-Mo'izzi, ad Gazam usque, sed repulsus est a copiis Sultani Damasci, 'al-Malico-'n-Nāçiri.

---

[a] Hîc in marg. adscriptum est: شمس الدين بن خليل.

[b] Hoc nomen, in Cod. sine vocalibus scriptum, procul dubio sic ut feci pronuntiandum est: origine vero est Turcicum, in quâ linguâ vox قَراجَه (diminutivum adjectivi قَرَه) *nigricantem* significat, et substantive *capreolum*. [c] Voce الأُنْس (*societas, consuetudo*) hîc ex mysticorum dicendi ratione *consuetudo cum Deo* exprimi videtur, ut sensus sit: *et duplo majus* (*quam reliquorum hominum*) *fuit bonum ab illo factum et consuetudo ejus cum Deo.* Exemplum ejusdem usûs vide in versu 'Ibno-'l-Fāriḍi, a Grangereto de Lagrange edito in *Anth. Ar.* p. ٥٤ vs. 11, quem locum Scholiasta in p. ٥٩ vs. 4 seqq. explicans, vocem الانس addito adjectivo الصَّمَدانىّ (*divinus*) illustravit.

[d] Sensus est: *multa scripsit, parva et magna, quum longum vitae spatium emensus sit.* حَيْثُ enim hoc loco *causam* exprimit, valetque Latinum *quum* sive *propterea quod.*

Matrimonium iniit Sultanus Aegypti cum Šagaro-'*d*-dorr*ā*, viduâ ·al-Malico-'*ç*-Çāli*h̲i* Aijūb*i*.

Obiit Bagdād*i* قاضى القضاة كمال الدين ابو الفضل عبد الرحمن بن عبد السلام بن اسمعيل بن عبد الرحمن بن ابراهيم الدامغانى الحنفى الحاكم ببغداد *

Obiit ·al-Qāhir*a*e العلامة بهاء الدين ابو الحسن على بن هبة الله بن سلامة الجميّزى المصرى الشافعى خطيب القاهرة, natus 90 annos.

Obiit Bagdād*i* الامام سيف الدين ابو المظفر محمد بن مقبل بن فتيان بن مَطَر النهروانى البغدادى الشهير بابن المنّى الحنبلى, plusquam 80 annos natus.

Obiit Miçr*i* الصاحب جمال الدين ابو الحُسين يحيى بن عيسى بن ابراهيم بن مَطْرُوح المصرى, natus annos 57.

Obiit Miçr*i* الشيخ رشيد الدين ابو محمد عبد الظاهر ابن نشوان بن عبد الظاهر المصرى السعدى شيخ الاقراء بالديار المصرية *

Anno 650

Exercitus Ťaťār*orum* invasit Mesopotamiam, magnamque in eâ stragem edidit.

Vehementissimo incendio H̲aleb*i* urbs afflicta est.

Obiit العلامة رَضىّ الدين ابو الفضائل الحسن بن محمد ابن الحسن بن حَيْدَر العمرى الهندى الصغانى, natus annos 73.

Obiit الرئيس فخر القضاة ابو الفتح نصر الله بن هبة الله ابن عبد الباقى بن هبة الله بن الحسين بن يحيى بن بُصَاقة الكنانى المصرى *

Obiit Damasci الامام شمس الدين ابو عبد الله محمد بن سعد بن عبد الله بن سَعْد الانصارى المقدسى, natus annos 79.

Obiit المؤتمن ابو القاسم يحيى بن نصر بن ابى القاسم بن ابى الحسن الشهير بابن قميرة التميمى مُسْنِد العراق, natus annos 85.

Obiit الشيخ ابو عبد الله محمد بن غانم بن عبد الكريم الواعظ الاصفهانى *

Anno 651

Pax composita est inter Sultanos Aegypti et Damasci.

In Emīr*atum* Mekk*ae* successit الامير ادريس بن على بن قتادة بن ادريس الحسنى *

Mortuo fratre ejus, الامير ابو سَعْد الحسن بن على بن قتادة بن ادريس الحسنى صاحب مكة المشرّفة, in ipsâ Mekk*ae* urbe.

Obiit Aintāb*i* الملك الصالح احمد بن الملك الظاهر غازى ابن السلطان الملك الناصر يوسف بن ايوب بن شادى بن مروان صاحب عَيْنتاب[a], natus annos 51.

Obiit Damasci العلامة كمال الدين ابو محمد عبد الواحد ابن عبد الكريم بن خلف بن نبهان الانصارى الشهير بابن الزمْلكانى الدمشقى الشافعى[b] *

Obiit Marochii قاضى القضاة ابو الحسن على بن عبد الله ابن محمد الشهير بابن قطرال الانصارى القرطبى المالكى[c], natus annos 88.

Obiit in Corāsāne الشيخ سَعْد الدين ابو عبد الله محمد ابن المؤيَّد بن عبد الله بن على بن حمّويه الجوَينى *

Obiit in Aegypto الشيخ جمال الدين ابو القاسم عبد الرحمن بن مكى المغربى الاسكندرى سبط الحافظ ابى طاهر السلفى, natus annos 81.

---

[a] In Cod. scriptum est عَيْفتاب.

[b] In marg. Cod. legitur كمال الدين الزملكانى.

[c] In marg. Cod. vocatur القاضى حسن بن قطرال.

Anno 652

Damasci laetissime celebratus est adventus sponsae Sultani, الخوندة ملكه خاتون بنت الملك علاء الدين كيقباذ صاحب الروم من بنت الملك العادل ابى بكر بن ايّوب *

Apparuit in coelo ignis scintillans et fumans, qui hominum animos in ·al-Jemane et in ·al-Ḫigāzo vehementer perturbavit.

Interfectus est ·al-Qāhirae, in arce قلعة الجبل dictâ, الامير فارس الدين اقطاى الصالحى *

Obiit Ḫarrāne العلامة مجد الدين ابو البركات عبد السلام ابن عبد الله بن ابى القاسم بن محمد بن تيميّة الحرّانى الحنبلى, natus annos 62.

Obiit Damasci العلامة شمس الدين ابو محمد عبد الحميد ابن عيسى بن عمّويه الخسْرُوشاهى *

Obiit Ḫalebi الامام كمال الدين ابو سالم محمد بن احمد ابن هبة الله بن طلحة النصيبى الشافعى[a] *

Anno 653

Profectus est الملك الناصر داود بن الملك المعظم عيسى ابن الملك العادل ابى بكر بن ايّوب ad ·al-ʿIrāqum, repetitum a Ċalīfâ ·al-Mostaʿçimo pretiosissimam gemmam, quam superiori anno ei commodaverat; sed infectâ re in Syriam rediit.

Obiit Nābolosi الامير سيف الدين يوسف بن ابى الفوارس ابن مُوسك القيمَرى *

Obiit Ḫalebi الشريف عز الدين ابو الفتوح مُرتضى[b] بن ابى طالب احمد بن ابى الحسن محمد بن جعفر بن زيد ابن جعفر بن ابى[c] ابراهيم محمد الممدوح الحسينى نقيب السادة الاشراف بحلب, natus annos 74.

---

[a] In marg. Cod. legitur كمال الدين طلحة.

[b] In marg. Cod. vocatur السيّد عز الدين المرْتضى.

[c] Deëst hoc ابى in Codice.

Obiit Halebi الامام نظام الدين ابو عبد الله محمد بن محمد بن محمد بن عثمان البلخى الحنفى, natus annos 79.

Obiit Halebi الامام ضياء الدين ابو محمد صَقر بن يحيى ابن سالم بن يحيى بن عيسى بن صَقر الحلبى الشافعى, natus plusquam 90 annos.

Obiit Tuneti الشيخ جمال الدين ابو الحجّاج يوسف بن محمد بن ابراهيم الانصارى البيّاسى, natus annos 80.

Anno 654

Diversa prodigia perculerunt incolas ·al-Medīna*e*: soni terribiles, terrae motus, ignis e terrâ prorumpens.

In eâdem urbe per imprudentiam unius e ministris, Templum Prophetae incensum et combustum est.

Flumen Tigridis praeter modum crevit, et Bagdādi urbem inundavit.

Prodiit هلاكو بن ظلو[a] بن جنكزخان ملك التتار, et in Adrabīgān*em* venit, petens ·al-ʿIrāq*um* et Syriam.

In Aegypto قاضى القضاة constitutus est تاج الدين ابو محمد عبد الوهاب بن خلف بن ابى القاسم العلامى المصرى الشهير بابن بنت الاعز الشافعى *

[b] Obiit السلطان علاء الدين كيقباذ صاحب الروم.

[b] Et brevi post successor et filius ejus, [c]غياث الدين كيخسرو.

Obiit Damasci الملك المعز مجير الدين ابو اسحاق يعقوب ابن الملك العادل ابى بكر بن ايوب بن شادى بن مروان*

---

[a] Hoc loco et in paucis aliis طلو in Cod. scriptum est: in caeteris fere constanter ظلو, quam igitur scriptionem etiam hîc secutus sum.

[b] Haec e marg. Cod. sumta sunt, collatoris manu addita.

[c] Male hîc in Cod. pro كيخسرو scriptum est بن كنحير.

Obiit Damasci العلامة شمس الدين ابو المظفر يوسف بن قزغلى بن عبد الله العونى البغدادى الحنفى سبط الشيخ جمال الدين ابى الفرج عبد الرحمن بن الجَوْزى *

Obiit الامام شرف الدين ابو محمد عبد العزيز بن عبد الرحمن بن هبة الله بن قرناص الخزاعى الحموى *

Obiit Miçr*i* الاديب زكىّ الدين ابو محمد عبد العظيم ابن عبد الواحد بن ظافر الشهير بابن ابى الاصبع المصرى, natus annos 65.

Obiit Heliopoli الشيخ ابو الروح عيسى بن احمد بن الياس اليونينى[a] *

Anno 655

Aegypti thronum conscendit السلطان الملك المنصور على ابن السلطان الملك المعز ايبك الصالحى *

Ibidem Vicariatum (نيابة السلطنة) adeptus est الامير سيف الدين قطز المعزى *

Et dignitatem Summi Judicis قاضى القضاة بدر الدين ابو المحاسن يوسف بن الحسن بن على السنجارى الشافعى *

Interfectus est ·al-Qāhir*ae*, in arce قلعة الجبل dictâ, الملك المعز ايبك الصالحى, natus circiter 60 annos.

Obiit, extra ·al-Qāhira*m* ex equo delapsus, الامير عز الدين ايبك الحلبى الصالحى *

---

[a] In ipso Cod. hoc loco scriptum videtur اليُونىنى, sed in versu abhinc secundo est اليُوبَىنى; in marg. perspicue offertur البُونينى (cum بـ). Magis etiam incerta est hujus ejusdem nominis scriptio infra ad a. 658; contrà vero ad a. 701 et 737 perspicue tam in marg. quam in textu exaratum est اليُونينى. Videtur hoc nomen relativum, quod etiam occurrit in Tydeman*ni* *Consp.* p. 92, ductum esse ab illo pago prope Heliopolin (بعلبك) sito, cujus nomen in Lex. Geogr. et ·al-Qāmūs*o* يُونَان scriptum est.

Obiit Bagdādi العلامة نجم الدين ابو محمد عبد الله بن محمد بن الحسن بن ابى سَعْد البغدادى الباذرانى الشافعى, natus annos 61.

Occisus est al-Qāhirae الصاحب شرف الدين ابو سعيد هبة الله بن صاعد الفائزى *

Obiit Bagdādi الامام عز الدين ابو حامد عبد الحميد ابن هبة الله بن محمد بن ابى الحديد المدائنى, natus circiter 70 annos.

Obiit بقرية يلدان, in ditione Damascenâ, المحدّث تقى الدين ابو محمد عبد الرحمن بن ابى القاسم بن عبد المنعم بن عبد الرحمن اليلدانى الشافعى, natus annos 87.

Anno 656

Venit القان هلاكو بن ظلو بن جنكزخان ملك التتار, cum exercitu bis mille millium militum, Bagdādum, Ćalīfam cepit, et per quadraginta dies cruentissimam in urbe stragem edidit, omnia vastans et diruens.

Expeditionem in Aegyptum moverunt الملك الناصر يوسف ابن الملك العزيز محمد بن الملك الظاهر غازى بن السلطان الملك الناصر يوسف بن ايوب, et الملك المغيث عمر بن الملك العادل ابى بكر بن الملك الكامل محمد بن الملك العادل ابى بكر بن ايوب; sed al-Mogīt, qui cum copiis praecesserat, proelio commisso victus est ab الامير سيف الدين قطز المُعزى, et in fugam conjectus.

Occisus est Bagdādi a Ṫaṫāris Ćalīfa الامام المستعصم بالله ابو احمد عبد الله بن المستنصر بالله ابى جعفر منصور بن الظاهر بالله ابى نصر محمد بن الناصر لدين الله ابى العباس احمد بن المستضىء حسن بن المستنجد يوسف بن المقتفى محمد بن المستظهر احمد بن المقتدى عبد الله بن الامير محمد بن القائم عبد الله بن القادر احمد بن الامير اسحق

ابن المقتدر جعفر بن المعتضد احمد بن الامير طلحة بن
المتوكل جعفر بن المعتصم محمد بن الرشيد هارون بن
المهدى محمد بن المنصور عبد الله بن محمد بن على
ابن عبد الله بن عبّاس عمّ النبى صلى الله عليه وسلم,
natus annos 47.

Obiit extra Damascum, in vico البُويضا dicto, الملك الناصر
ابو المظفر داود بن الملك المعظم ابى العزائم عيسى بن
الملك العادل ابى بكر بن ايوب بن شادى بن مروان,
natus annos 53.

Obiit al-Qāhira*e* الحافظ زكىّ الدين ابو عبد الله عبد العظيم
ابن عبد القوىّ بن عبد الله بن سلامة المنذرى المصرى
الشافعى, natus annos 75.

Obiit in strage Bagdād*ensi* الامام محيى الدين ابو المظفر
يوسف بن الشيخ جمال الدين ابى الفرج عبد الرحمن بن
على بن محمد بن على بن جعفر القرشى البكرى الشهير
بابن الجَوْزى البغدادى الحنبلى, natus annos 76.

Obiit Ḫaleb*i* الصاحب محيى الدين ابو عبد الله محمد بن
قاضى القضاة مجد الدين ابى غانم محمد بن قاضى القضاة
جمال الدين ابى الفضل هبة الله بن قاضى القضاة نجم الدين
ابى الحسن احمد بن يحيى بن زهير بن هارون بن موسى
ابن عيسى بن عبد الله بن محمد بن عامر ابى جَرادة
العُقيلى الحلبى الشهير بابن العديم[a] الحنفى, natus annos 66.

Obiit الرئيس نظام الدين ابو عبد الله محمد بن محمد
ابن محمد بن عبد المجيد الانصارى الشهير بابن المولى
الحلبى *.

Obiit الرئيس عون الدين ابو المظفر سليمان بن بهاء الدين
ابى القاسم عبد المجيد بن الحسن بن عبد الله بن الحسن
ابن العجمى الحلبى, natus annos 50.

---

[a] In marg. scriptum est العريم.

Obiit Damasci الصاحب عز الدين ابو حامد محمد بن محمد بن خالد بن محمد بن نصر المخزومى[a] الشهير بابن القيسَرانى الحلبى *

Obiit Miçri الصاحب بهاء الدين ابو الفضل زهير بن محمد ابن على بن يحيى الازدى المكى المصرى, natus annos 75.

Obiit Heliopoli القاضى صدر الدين ابو محمد عبد الرحيم ابن نصر بن يوسف البعلبكى الحاكم ببَلَده *

Obiit Damasci الامير سيف الدين على بن سابق الدين عمر بن قزل بن جَلدَك الشهير بالمشَدّ, natus annos 54.

Obiit in strage Bagdādensi الامام جمال الدين ابو زكرياء يحيى بن يوسف بن يحيى بن منصور الصَّرْصَرىّ البغدادى الحنبلى, natus annos 68.

Obiit الاديب شرف الدين ابو الطيّب احمد بن محمد بن ابى الوفا الموصلى الشهير بابن الحلاوى, natus annos 53.

Obiit Damasci الاديب سَعْد الدين ابو سَعْد محمد بن الشيخ محيى[b] الدين ابى عبد الله محمد بن على بن محمد بن عبد الله الاندلسى الشهير بابن العربى, natus circiter 40 annos.

Obiit الاديب نور الدين ابو بكر محمد بن عبد العزيز ابن عبد الرحيم بن رُسْتم الاسعَرْدى *

Obiit بصَحْراء عَيْذاب, iter faciens in al-Ḥigāzum, الشيخ ابو الحسن على بن عبد الله بن عبد الجبار بن يوسف الشاذِلى *

Obiit in vico مَرْدَا, sito in ditione Damascenâ, الشيخ ابو عبد الله محمد بن اسمعيل بن احمد بن ابى الفتح الشهير بخَطيب مَرْدَا المقدسى الحنبلى, natus annos 90.

Anno 657

In Aegypti imperium successit السلطان الملك المظفر قطز المعزى *

[a] Cod. المخرومى. [b] Cod. محى.

[a] Al-Mauçili summa res pervenit ad الملك الصالح عماد الدين اسمعيل بن الملك الرحيم بدر الدين لؤلؤ *

In Aegypto Vicariatum (نيابة السلطنة) adeptus est الامير فارس الدين اقطاى الصالحى *

Aedificatum est Observatorium astronomicum in urbe Marāgā, auspice الخواجا نصير الدين ابو عبد الله محمد الطوسى *

Tatāri potiti sunt Harrāne et magnam partem Mesopotamiae et Syriae vastarunt.

Obiit al-Mauçili الملك الرحيم بدر الدين لؤلؤ الاتابكى صاحب الموصل, natus 80 annos.

Obiit Damasci الرئيس صدر الدين ابو الفتح اسعد بن عثمان بن اسعد بن المنجا التنوخى الدمشقى الحنبلى, natus annos 60.

Obiit Damasci الرئيس نجم الدين ابو الفتح مظفر بن محمد بن الياس الانصارى الدمشقى الشهير بابن الشيرجى الشافعى *

Obiit in urbe Bagājâ الحافظ ابو الحسين[b] حمد بن محمد ابن احمد بن السراج الانصارى الاشبيلى, natus annos 97.

Obiit Damasci الاديب بهاء الدين ابو عبد الله محمد ابن مكى بن محمد بن الحسن الشهير بابن الدجاجية القرشى الدمشقى, natus annos 66.

Anno 658

Halebum expugnarunt et crudelem in modum vastarunt Tatāri.

Iidem Damasco etiam potiti sunt.

---

[a] Haec e margine Cod. sumta sunt, collatoris manu addita.

[b] In marg. scriptum est: ابو الحسن.

Aggressus eos ex Aegypto est السلطان الملك المظفر قطز المعزى, eosque profligavit in proelio, ad عين جالوت commisso.

In Aegypti imperium successit السلطان الملك الظاهر بَيْبَرس *

In principatum Māridīni successit الملك المظفر قرا رَسْلان ابن الملك السعيد ايلغازى بن ارتق *

Damasci imperium ad se traxit الامير علم الدين سَنْجَر الحلبى *

Vicariatum Halebi adeptus est الامير علاء الدين على بن بدر الدين لؤلؤ صاحب الموصل *

Munus Summi Judicis Damasci obtinuit قاضى القضاة نجم الدين ابو بكر محمد بن قاضى القضاة صدر الدين ابى العباس احمد بن سنى الدولة الشافعى *

Interfectus est in viâ, cum victor e Syriâ in Aegyptum revertebatur, السلطان الملك المظفر قطز المعزى.

